

ARV



177

Sammelband

Ka

+

21.

DEO DVCE
DISSERTATIONEM
DE
AVCTIONIBVS

PRÆSIDE

DN. GEORGIO WERNERO, JC^{TO}
CANONICI JURIS ET FEVDALIS PRO-
FESSORE ORDINARIO, MAGNIFICO HVJVS
JVLIAE PRORECTORE, FACVLTATIS SVÆ HO-
DIE DECANO, DICASTERII GVELPHICI AS-
SESSORE MERITISSIMO, DN. PRÆCEPTO-
RE, PATRONO, FAVTORE ET PRO-
MOTORE SVO ÆTERNVM
VENERANDO

Ad diem Mens. Septembr.

IN NOVO IVLEO

*Publica & placida eruditorum disqui-
sitioni exhibet*

CASPAR CELLARIVS

Rudolphop. THVRINGVS

AVTOR

✻ (O) ✻

HELMESTADII,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO IO C LXIV.





ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO
DOMINO,

DN. RABANO DE CANSTEIN
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSILIARIO INTIMO, SVPREMO
AVLÆ MARESCHALLO, &c.

HEREDITARIO IN CANSTEIN,
LINDENBERG, SCHÖNENBERG,
MÖLLENICHEN, &c.

V I R O

CVJVS INSIGNI ERVDITIONI ET
BONARVM ARTIVM PATROCINIO MVSE
EARVMQVE ALVMNI PLVRIMA DE-
BENT, STVDIORVM SVORVM PRO-
MOTORI MAXIMO,

OPTIMA QVÆQVE FAVSTA ET LÆ-
TA OMNIA APPRECATVR, EJVSQVE ILLV-
STRI GENEROSITATI HOC LEVE MV-
NVS DEBITA MENTE, SVB
MISSA MANV

offerit

AUTOR.



C V M D E O!

T H E S I S I.

Nycurgus, quem *Honor. in prax. sap. pol. c. 5.* perpetuum civilis sapientiae lumen appellat, emi singula non pecunia sed compensatione mercium iussit, teste *Iustin. 3. 2. 11.* Postea autem cum & permutatio suas haberet difficultates, inventus est numus, quo aequalitati quantitaris subveniebant homines, *l. 1. ff. de contrab. emt. vend.* Numus enim omnes res metitur, *Aristotel. 5. Eth. 5. §. 22.* & conficit emtionem venditionem. Hanc verò usus quotidianus hominum iterum non in totum quidem mutavit, sed tamen varijs conditionibus & qualitatibus commodiorem reddidit, ubi scilicet alij purè, alij sub certa conditione, alij per aversionem, alij per auctiorem res venales sibi comparant, de qua posteriori qualitate emt. venditionis in sequentibus agemus.

II. Auctiorem autem ab augendo dici manifestissimum est, eum augeat rem, cui accedit. Inde etiam venditiones, quæ sub hasta vel sine hasta fiebant, dicebantur auctiorem, *l. 4. §. 5. C. lib. 10. de fid. §. jur. hast. quo facit illud Plauti in Mercat. 2. 4. 22. auctarium adycito.* Hinc ait *Perottus p. m. 604. Auctio venditio est in publico, quæ fit licitatione, i. e. aucto ab emtoribus pretio.* Dupliciter enim ibi auget auctio, quando nempe pretium auget emtor, per quod venditoris lucrum augetur.

III. Homonymiam vocab. Auctiorem duplicem esse deprehendimus, quando i. pro actu augendi sumitur, ii. pro ipsa venditione, quæ fit aucto pretio, *l. 2. §. 8. ff. pro emtor. Plaut. in Epid. 2. 2. 51. in Pœnul 1. 3. 2. Tacit. 1. hist. 20. 4. & pluribus locis alijs.* Inde Auctor etiam sumitur pro venditore, apud *Cicer. orat.*

rat. Verr. 9. l. 4. §. 1. ff. de action. emt. vend. l. 51. princ. ff. de evictio.
l. 1. C. de peric. & commod. rei. vend. & passim alibi.

Subhastatio unde dicitur?

IV. Quoniam etiam sæpius auctio dicitur subhastatio, pauca de illa erunt notanda. Et si originem voc. subhastationis inquiras, videtur usus ex istis duabus vocibus, *sub* & *hasta*, unam fecisse. Hasta verò *Varr. lib. 4. de ling. lat.* dicitur, quod astans soleat ferri: eamque vocem hastæ in classicis autoribus non tantum de auctioibus & venditionibus, sed etiam de locationibus sumi refert *Cæli Rhodigini lib. 21. lect. antiqu. c. 17.* cui iunge *Cic. 12. epist. ad Attic. 3. & in Philipp. 2. c. 103.* Et notat *Fungerus in suo etymolog. Lat. Græc.* hastam olim auctiois signum, inque foro positam fuisse, quod ex pluribus locis patet. *Ludov. Postio de subhastat. inspect. 1. n. 7.* sub hasta vendendi origo inde cœpisse videtur, quia hasta symbolum fortitudinis erat, eaque Principes rerum suarum auctoritatem tuebantur. Proinde antiqui, dum vendebant bona debitorum, etiam ad fisci utilitatem hastam figebant, forte ob ipsorum debitorum timorem, ne eos vendere impedirent. *Er n. 15. ibid.* refert ex *Iodoc. Dambeuder. de subhast. c. 1.* hastam virgam esse, quæ tradita fuit, cum potestas cuidam dabatur alicujus mercis. Mihi tamen *Postij* ratio magis arridet. Ipsius vocab. subhastationis & verb. subhastare apud antiquos scriptores nulla, quod ego sciam, fit mentio, & significationem ejus semper alijs formulis olim expresserunt, quas refert *Anton. Matthæi lib. 1. de Auctio. c. 1. §. 6.* & passim occurrent plures. Orta tamen vox subhastationis videtur circa *sec. 5.* uti *l. 16. C. de rescind. vend. l. 3. C. de execut. rei jud. & D. Augustini. lib. 3. c. 28. de Civit. Dei* demonstrant, ad quem locum etiam notat *Ludov. Vives*, vocab. subhastare fuisse ætatis Augustini.

Significatio subhast.

V. Variam etiam significationem subhastationis propter novam ejus originem non temerè reperias, adeoque mihi tantum unam notare licuit, quæ venditionem sub hasta posita denotat, *d. l. 16. C. de rescind. vend.* & dicit *Ant. Fab. Cod. Fabr. lib. 8. tit. 17. defn. 6.* Subhastatio quid aliud est quam venditio judicialis? Eandem vocem Galli etiam suam fecerunt, quam ita explicat

plicat Robert. Stephani in suo Lexic. Gall. Subhaster est vendre les biens d' aucun au plus offrant & dernier encherrisseur par l' ordonnance de justice. Adde Peretz. ad tit. C. de fid. & jur. hast. n. 1. & Alexandr. ab Alex. 3. gen. dier. 16.

VI. Est autem *Auctio* nil aliud, quam venditio, quâ palam, prædicante præcone, res venalis exponitur, vel proscripta addicitur illi, qui licitatione alios vicit. Adeoque non sufficit definitio *Rebuffi* ad rubr. de præcon. n. 5. quod auctio sit venditio in publico ac celebri loco facta. Multò minus rem conficit definitio *Mangily* de subhastat. quæst. 1. quod auctio sit rei venalis publicè facta expositio.

Quid sit
auctio?

VII. Sectionem debitorum apud veteres referunt *LL. 12. Tabb. & Gell. 20. noct. Att. 1.* quam tamen nunquam in usum pervenisse ex *Petr. Gudelin. de jur. noviss. lib. 4. c. 16.* asserti *Nobiliss. & Consultiss. Hahn. Præceptor & Promot. venerandus in Obser. ad Wesemb. ff. de cess. bon. n. 3.* In ejus locum postea ignominiosa bonorum proscriptio successisse videtur. *Vinn. ad tit. Inst. de success. sublat. qua sieb.* Cui solennis hastæ usus accessit, teste *Anton. Augustin. de LL. & Sctis ad L. Aebut. Primus L. Cornelius Sulla hastà usus est, eum C. Cæsar & trium viri imitati sunt: posteriores hastam fiscalem introduxerunt.* Neq; enim in *Digest. hastæ fiscalis fieri mentionem, memini, sed tantum auctiois.* Si jam inquirere velimus, cui juri ortum suum subhastatio debeat, norandum, quod publica sit juris Civ. Rom. *Post. de subhast. inspect. 1. n. 53.* Privatas verò auctiones jurigent. potius asseripserim, arg. §. 1. *Instit. de jur. nat. gent. & Civ.* quoniam illas naturalis quasi ratio inter privatos introduxit.

Origo subhastationis.

VIII. Publicam verò utilitatem istas auctiones introduxisse, non est dubium. Si enim olim debitor fraudandi animo *l. 7. §. 2. ff. quib. ex caus. in poss. latitabat,* ut nullam secum potestatem agendi faceret actori, postulationum die evocandi adversarij autoritatem actor petebat. Si evocationi primæ non parebat reus, secundam decernens Prætor, in bona debitoris mittebat creditorem, *d. l. 7. §. 1. & nisi evocatione tertia ad sui*

Quare introducta sit auctio a jure Civ.

A 3

defen-

defensionem excitaretur, altero decreto debitoris bona possi-
deri, proscribi ac distrahi jubebat, *princ. Inst. de success. sublat. l. 1. §. 2. ff. quod cui. universit. l. 4. ff. de pignoratit. act. Cic. in orat. pro P. Quinct. c. 25.* Et istam bonorum debitoris distractionem decre-
tam fuisse ex potiorum Creditorum votis & petitis, docet *Cu-
jac ad lib. 10. Respons. Papin. ad l. 8. de pact.* Possidebantur autem
illa debitorum bona dies xxx. proscribentur ac distrahebantur
post xxx. diem, testibus *Cic. in dict. orat. pro P. Quinct. c. 30. Gell. d. loc. & Contr. Rittershus. ad LL. 12. Tabb. part. 3. class. 3. c. xi.*
ubi pluribus refert, quam duriter & atrociter creditoribus cum
debitoribus agere, imò vendere ipsos peregrè licuerit, quale
quid etiam apud Athenienses receptum, à Solone tamen ab-
rogatum fuit, *Plutarch. in Solon. circa med.* Simile quid habetur
in parab. Evangel. *Matth. xlix. v. 25.* ubi creditor debitorem,
seipsum, uxorem & liberos suos vendere jubet, quo mutuum
renumerare possit.

Abusus au-
ctionis.

IX. Evenit deinde etiam hic illud, quod *Lips. Cent. 1. epist. Misc. 21.* ait, habere hoc semper novam libertatem, ut ad licen-
tiam facilè deflectat. Magna enim ista creditoribus concessa
libertas semper magis, ut fieri solet, crevit, adeò ut etiam mi-
nus humano more in debitores sævirent. Inde auctiones istæ
turbulentis Reip. temporibus in abusum venerunt, ut etiam
infantium bona hac ratione sint distracta, monstrantibus pluri-
mis exemplis, *Tacit. 1. hist. 20. 4. Cyprian. lib. 2. epist. 2.* ubi hasta
& pro subhastationis, quod malim, vel etiam pro judicij signo
accipi potest. *Tertullian. in Apologet. c. 13. Cic. in orat. de L. Agrar. c. 2. 3. & seqq. & 2. Off. 83. Juvenal. satyr. 3. v. 33. Senec. 1. de Ira 2. Valer. Maxim. lib 6 c. 3. n. 4.* Ex recentioribus *Barclai. in Argen. lib. 4. & Rævard. pro tribun. c. 19.* idem testantur.

Quomodo
mirigata sit
licentia au-
ctionis.

X. Bene igitur notandum hic est, quod ait *Cic. pro P. Quinct. c. 51.* *Majores nostri rarò id accidere voluerunt: Prætores, ut consideratè fieret, comparaverunt. &c.* Et notat *Rittershus. ad No- vell. part. 2. c. 3.* quod lex illa 12. Tabb. citò in desuetudinem abi-
erit ob nimiam immanitatem, astipulante *l. 3. princ. C. de jur. dom. impetr.*

impetr. Ob quam commorus noster *Iustinianus* istam Creditorum licentiam refrenare, & ambages propter talem bonorum venditionem introductas contrahere voluit, adeoque creditoribus hoc tantum dedit, ut officio iudicis bona debitoris juberentur possidere, *Post. d. l. inspect. 38. n. 15.* & prout eis visum fuerit, disponere, *d. princ. Inst. de success. sublat. l. 9. C. de bon. autor. iud. poss.* non tamen simpliciter pro lubitu bona debitorum distrahere poterant. Et jure noviss. alius huic rei adhibitus est modus, *nov. 53. c. 4. §. auth. Et qui jur. C. de bon. auth. jud. poss.* ut creditores pro quantitate debiti in possess. mittantur & possidere jubeantur.

XI. Non verò ex *d. princ. Inst. de success. sublat.* inferri potest, quod Imp. voluerit omnem bonorum venditionem eorumque auctiōem abrogatam, quod indicant ejusdem princ. verba; prout utile eis visum est ea disponere. Et ex *Nov. 53. c. 4. §. 1. in fin.* videtur probari posse tantum dilatam esse bon. venditionem, si forsan debitor latens se sistat. Iura enim passim permittunt reo intra annum comparenti & caventi secundum dicta restitui possessionem, *l. 8. §. 3. C. de prescript. 30. ann. & c. fin. X. ut lit. non contest. Peretz. ad C. de jure domin. impetr. n. 4. §. 2. addit;* quod nec ipse Creditor hodie à Magistratu mittatur in possessionem, nec à Principe impetret jus dominij, sed ad auctiōem & licitationem admittatur, ut & alius quilibet, atque ex pretio bonorum solvatur creditoribus. Neque etiam *d. nov. 53.* potest derogare *nov. 120. c. 6.* Hæc enim aliquot annos post illam emissam permisit sub hasta res Ecclesiæ debitoris distrahere. Quod verò dicitur in *d. princ. Inst.* bonorum venditiones expiravisse, intelligendum est de universali acquisitione & veteri ordine prisca-rum formularum. Alias si debitor lateat nimis diu, nil obstat, quo minus ejus bona vendi possint, arg. *d. l. 9. C. de bon. autor. jud. poss.* ut ex pretio creditoribus satisfiat. Imo *Nobiliss. Brun-neman. ad l. 1. C. de fid. §. jur. hast.* notat fiscum debitoris bona, immobilia præsertim non posse vendere, nisi præviâ subhasta-tione. Quomodo autem & quibus solennibus auctiō expediri de-

An auctio
bon. ab Im-
per. sit su-
blata?

ri debeat, LL. non satis ostendunt: interim ea bene consulantur & debitori & Creditoribus, quoniam eo modo majus pretium cogi poterit.

An hoc in
usu sint au-
ctiones?

XII. Quod ad usum auctiois attinet, eam ex Novell. Batavicis, in Belgio usitatissimam esse patet. Idem ostendit *Ant. Matth. lib. 1. c. 4. de auctio.* qui pluribus passim consuetudines Hollandicas quoad auctioes refert. Neque dubito, quin in Gallia quoque sint in usu. Et in Sabaudia subhastationes in usu esse memorat *Ant. Faber. 5. Conject. 15.* & passim in suo *Cod. Fabr.* In Dania superiore anno præstantissimorum librorum ex Biblioth. Ulesfeldiana proscribatur privata auctio. Et in Britannia, Lusitania, Hispania, Flandria, & passim fieri auctioes addidici. In Germania earum usus non adeò invaluisse videtur, nisi publicam intelligere velimus, quæ Lubecæ, Bremæ, Hamburgi, & in similibus emporijs frequentior est. Coepit tamen in Italia nostra auctio privata Anno 1657 Kalendis Iunij, quæ fuit egregiorum quorundam librorum incompactorum ex officina Ianseniorum. Plures postea tam compactorum quam incompactorum librorum apud nos non sine fructu ingenti studiosorum sunt habitæ auctioes.

An bene au-
ctiones in
Rep. per-
mittantur?

XIII. Neque dubium est, quin auctioes Rebusp. con-
ducant. Primò enim debitori eam exhibet gratiam fiscus, ut
bona illius præviâ æstimatione publice plurimum licitantibus
& solventibus vendantur, ne, si ea fiscus vel creditores sibi rapi-
ant, vilius distrahantur, *l. 16. C. de rescin. vend. & arg. l. 1. C. de
fid. & jur. hast.* Deinde reliqui debitores hoc modo admonen-
tur, ut caveant, ne similem executionem experiri necesse ha-
beant. Privatæ verò auctiois duplex emergere videtur utili-
tas. i. quod ita vendens rebus suis etiam vilibus facilius inve-
niat emtores. Sæpius enim rem semel visam nobis emimus,
nec de aliâ, licet meliore, cogitamus. Et quoniam sæpius uni-
us rei plures adsunt emtores cupidi, æquiori vel etiam cariori
illa venditur precio. Accedit, quod subitò per auctioem va-
cillanti suæ inopiæ subvenire possit venditor, dum promptius
ipfi

ipsi precium est solvendum, *arg. l. 5. §. 1. ff. de jur. fisc. § l. 15. § 7. ff. de re judic.* Neque emtor prudens omni in auctione destituitur commodo, cum interdum dimidio precio vel etiam tantum tertiâ deductâ, ad exemplum Serviliæ apud *Macrob. 2. Saturnal. 2.* rem aliquam, aut vero illam hoc modo sibi comparare possit, quâ antea ægrè caruit. Adeoque non video, quare in Rep. non sit toleranda auctio, cum illud, quod Reipubl. opportunum est, inque rem communem vergit, male prohibeatur.

XIV. Notandæ jam quædam veniunt differentiæ, quarum primam faciemus illam, quæ est inter subhastationem & auctionem; I. quod subhastatio facta sit semper autoritate Magistratus, hasta præfixa: auctio vero etiam sine hasta & sine autoritate Magistratus facta fuisse legitur apud *Cic. & Plaut.* passim citatis locis. II. quod in subhastatione ante venditionem bona æstimarentur, *arg. l. 16. C. de rescind. vend.* quale quid in auctione priv: factum fuisse non memini. III. quod subhastatio semper illorum bonorum facta legatur, quæ alijs, præsertim fisco propter debita erant obstricta, auctio verò etiam à privato ob usus privatos fieri solebat. IV. quod subhastatio præcesserit auctionem, quod videtur *ex l. 3. C. de execut. rei jud. pate- re.* V. quod subhastatio auctio publica dicatur, *Bud. in forens. p. 62.* auctio vero privata tantum simpliciter auctio. Has tamen differentias non ita accuratè observari ex *LL. & Cic. 12. epist. ad Att. 3.* evidens est. Hinc ait *Lud. Post. de subhast. inspect. 1. n. 11.* auctionem in effectu eandem esse cum subhastatione.

XV. Magnam quidem in diem addictio cum auctione habet affinitatem, non tamen simpliciter eadem est, uti docuit *Magnif. D. Præses in dissertat. privat. ad Wesemb. paratitl. de in diem addict.* I. Addictio enim in diem est venditio, sed tamen cum hoc pacto, ut si intra certum tempus alius plus offerat, res venalis ipsi addicatur. Auctio vero est, quando res illi addicitur, qui plus publicè licitatus est. II. In additione in diem traditur res emtori, & hæc interdum pura interdum con-

B

ditio.

Quomodo
differant
subhastatio
& auctio ?

Quomodo
differant
auctio & in
diem addi-
ctio ?

ditionalis est, arg. l. 2. ff. de in diem addict. Verum in auctio-
 bus res primo vel tertio licitatori non traditur, nisi vincat, nec
 pura est. II I. Neque etiam in addictionibus uti in auctioibus
 videtur usus præconis fuisse. IV. In eo quam maximè differunt,
 quod, si cui res addicta erit, alius tamen intra diem vulgarem,
 qui interdum xxx. dierum, interdum arbitrarius est, plus offe-
 rat, res auferatur priori emtori, nisi & prior tantundem adijce-
 re paratus sit, l. 9. ff. de in diem addict. & l. ult. ff. in princ. de jur.
 fisc. Si verò tantundem adijciat, non est æquum ei rem auferri,
 & æquius, eum novo licitatori præferri. Cusac. in lib. 33 Paul ad
 edict. ad l. 8. de in diem addict. In auctione vero semper plus of-
 ferenti res addicitur, & prior licitator non potest rem retinere,
 nisi posteriorem licitando vincat, quod peculiariter in auctio-
 bus hodiernis usu venit, forsitan ut lites emtorum præcaveantur.
 Conveniunt autem, I. quod auctio & in diem addictio intra cer-
 tum tempus fieri soleant, arg. l. 4. C. de fid. & jur. hast. & auth.
 Hoc jus porrect. C. de SS. Eccles. l. 1. ff. de in diem addict. II. Etiam
 commune habent vocab. Addicere, l. 5. C. de fid. & jur. hast. &
 Wesemb. ff. de in diem add. n. 1. de quo Bud. in annot. ad ff. ad tit. de
 in diem addict. p. m. 220. notat, quod aliquando idem sit, quod li-
 citanti rem auferendam permittere, ex rubr. C. ne pro dot. mulier.
 bona. aliquando auctioem facere, i. e. bona sua proscribere
 denotet; quod Græci per ἀποκρίθειν exprimunt.

Quomodo
 differant
 proscriptio
 & auctio?

XVI. Non illam hic intelligimus proscriptionem, quan-
 do quis de bonis suis quasi removeretur, eaque fiscus sibi addi-
 cit, de qua inter alios agit Bodin. 5. de Rep. c. 3. Sed eam, quâ a-
 liquid venale claris literis & usitatis in loco evidenti proscribi-
 tur, uti dicitur in l. 11. §. 3. ff. de instit. act. Hæc proscriptio &
 auctio invicem distant, ut antecedens & consequens, quod do-
 cet Plin. 7. epist. 11. Suspensis enim tabulis per 30. dies res per
 auctioem distrahenda proscribebatur, & inde lapso tempore
 ad Creditorum postulatam Prætor auctioem fieri permitte-
 bat, l. 9. C. de bon. aut. jud. poss. & ita etiam proscriptionem & au-
 ctioem secernit Hottom. ad l. 13. §. 1. C. de judic. Præterea ex l. 25.



§. 32. ff. de injur. videtur pateré, proscriptionem rei subhastandæ aliquam ignominiam secum traxisse, quod tamen non de omni auctione dici potest. Hodienum apud nos schedulæ quædam ædibus venalibus affiguntur, quibus proscribuntur, ubi tamen non semper sequitur subhastatio.

XVII. Licet etiam in contractu emt. venditionis perfre-
quens sit, imò necessaria videatur esse licitatio, non tamen o-
mnino eadem est cum auctione, nisi quatenus hæc pro actu au-
gendi sumitur. Aliàs si auctio pro venditione sumatur, differt
à licitatione ut totum à parte, quia in omni auctione licitatio
requiritur. Interdum tamen licitationem pro subhastatione
sumi, docet *Post. d. loc. inspect. l. n. 30. Hillig. ad Donell. lib. 23.*
c. 13. citat Franc. Philelphi epist. philolog. 12. dicentis, Licitari & au-
ctionari differre, & prius non significare premium augere. Quod au-
tem verb. Licitari idem quod premium augere denotet, de-
monstrant l. 6. ff. famil. ercisc. l. 9. princ. ff. de publican. & vectig.
Et hoc est quod Galli dicunt, *mettre en l'enchere*. Adeoque ego
assertionis Philelphi satis evidentem rationem non video, ne-
que tamen auctioriari & licitari invicem differre negârim.

Quomodo
differant
auctio & li-
citatio?

XIIX. Neque illis adstipulari possum, qui subhastatio-
nem subhasta Centumvirali peractam esse dicunt, cujus asser-
tionis nullum fundamentum inveni, cum in Centumviralibus
judicijs multæ graves causæ disceptari solerent. Inde autem
dicitur hastæ judicium, quia Centumviri, hasta in terram defixa,
judicabant, quæ erat signum hujus judicij, cujus fit mentio in
l. 13. ff. de inoff. test. l. 12. princ. C. de heredit. petit. l. 2. §. 29. ff. de
Orig. Jur. ad quam vid. Ant. Augustin. de LL. & Scris, ad L. Ebut.
Jac. Revard. lib. sing. pro tribun. c. 20. & Rittershus. ad Novell. part.
6. c. 3. & part. 9. c. 3. n. 6. Subhastatio quidem hastâ præfixâ fie-
bat, non tamen ibi tam judicabatur, quam tantum res ad di-
strahendum damnatæ & aliæ sub hasta positæ publicè vende-
bantur.

Quomodo
differant
subhastatio
& hasta cẽ-
tumvir.

XIX. Locationes vectigalium etiam sub hasta factas esse
refert *Alex. ab Alex. 3. gen. dier. c. 16. idemq; indicant nobis l. 9.*
ff. princ. stat.

Quomodo
locatio sub
hasta diffe-
rat à subha-

ff. princ. de public. & vectig. Plin. 7. epist. 27. & forsan locus Sactos.
in August. c. 36. Liv. lib. 43. c. 16. l. 2. 3. & 5. lib. x1. C. de locat. præd.
Civ. Lud. Post. de subhast. inspect. 3. n. 43. Et de his Ant. Matthæi de
auctio. toto lib. 2. agit. Si quæ verò differentia hic erit nota-
da, erit talis, qualis est inter emt. venditionem & locationem
simplicem, siquidem locatio sub hasta eadem ferè solennia, quæ
venditio sub hasta, habuisse videtur.

Divisio au-
ctionis.

XX. Communiter auctio dividitur in publicam & priva-
tam. Alia enim est causa privati commercij, alia publici. Bud.
in forens. p. 62. Publica est, quæ fit autoritate Magistratus in lo-
co publico, præfidente prætore vel procuratore Cæsaris de bo-
nis debitorum. Hanc Bud. ibid. p. 49. vocat auctionem in judi-
cio constitutam. Privata vero est, quam privati quidam in-
stituunt, non interveniente Magistratus autoritate propter u-
tilitatem privatam: cujus exemplum est in Cic. orat. pro P. Quinct.
c. 15. Subijcit Lud. Post. de subhast. inspect. 1. n. 67. aliam divisionem,
quod nempe alia auctio fit judicialis, alia extrajudicialis. Verum
eadem esse videtur cum nostra. Differunt auctio publica & privata,
quod in illa debita solennia omnia sint observanda, l. 1. & 6. C.
de fid. & jur. hast. In privata non item: quamvis ratione loci for-
san omnes auctiones publicæ dici possint.

Alia divisio
auctionis.

XXI. Aliam auctiois divisionem subministrat nobis
Peretz. ad tit. C. de fid. & jur. hast. n. 1. quod alia fit voluntaria,
alia necessaria. Hæc est, quæ ad petitionem fisci aut ejus pro-
curatoris & pro debito sibi exolvendo in distractione bono-
rum sui debitoris solenniter fit. Voluntaria erit, quando ali-
quis privatus voluerit res suas in publico ad vocem præconis
distrahere, ut ex licitatorum calore carius vel etiam citius res
distrahantur. Verum & hæc divisio idem quod prior inferre
videtur.

Causa effi-
c. pub. aucti-
onis.

XXII. Debita, quibus quis fisco vel alijs est obstrictus,
efficiunt auctionem publicam, quæ non nisi coram Procurato-
re Cæsaris fieri potuit, l. 1. C. de fid. & jur. hast. Ille Procurator
Cæsaris etiam in rebus alijs fiscalibus intervenire solebat, ad-
juncto

juncto Advocato fisci, ubi finiendæ quoque erant res con-
 troverſæ ſuper licitatione vel adjectione, itemque venditione,
 an ea legitimè facta fuerit nec ne, *l. 4. C. ubi cauſ. fiſc.* Nec obſtat *l.*
50. ff. de evict. ubi agitur de executione ſententiæ extraordinaria,
 quali venditioni Prætor non præſidebat. Niſi etiam velis dice-
 re, legem loqui de rebus vilioribus diſtrahendis. Nec repu-
 gnat *l. 11. §. 16. ff. de act. emt. vend.* ubi Creditoribus Prætor per-
 miſſiſſe cenſetur bonorum debitoris venditionem. Olim enim
 ex Prætoris decreto fiebant bonorum proſcriptiones & ſubha-
 ſtationes, *l. 7. §. 1. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. Rævard. lib. pro tribun. v.*
19. Senec. de brevit. vit. c. xi Hodie, mutatâ antiquâ Reip. Rom.
 forma, quin ſubhaſtationes ex cujuſlibet ſuperioris Magiſtra-
 tus decreto fieri poſſint, nullus dubito.

XXIII. Cum verò quivis liberam rerum ſuarum admi-
 niſtrationem habens poſſit vendere, videtur etiam quivitalis
 rerum ſuarum privatas auſtiones inſtituere poſſe, licet non ro-
 gârit Magiſtratum; & hoc olim factum fuiſſe paſſim citata re-
 ſtantur exempla. Nec video, quid hic poſſit obſtare, niſi illud,
 quod aliàs emt. venditionem impedit, vel ſpeciale ſtatutum ta-
 le quid prohibeat. Interim non abs re fuerit, ſi Magiſtratus, ne
 viliffimæ quælibet res hoc modo diſtrahantur, proſpiciat.

An privati
 poſſint in-
 ſtituere au-
 ction.

XXIV. Patet inde ab emtione rerum fiſcalium & à fiſco
 vel creditoribus proſcriptarum non facilè aliquem prohiberi,
 adeoque etiam illis licebit emere, qui earum habent curam, ut
 ſunt & fuere olim Comes rerum privatarum Auguſti, Quæſto-
 res ærarij, ſchola Palatinorum & Advocatus fiſci, nec iſta em-
 tio ſervatis ſolemnibus & palam inita calumniabitur, *l. ult. C. de*
ſid. & jur. hoſt. à Cujac. reſtituta. Qua cum non pugnat *l. 46. ff.*
de contrah. emt. ſiquidem *d. l. ult.* illud ſpecialiter concedit. Mul-
 tò minus obſtat *l. ult. C. de reſcind. vend.* quæ loquitur de ijs quæ
 furtim citra auſtionem venduntur. Notat tamen *Ant. Matth.*
d. lib. 1. c. 10. n. 3. illum judicem, cujuſ autoritate bona proſcri-
 buntur, recte hodieque à licitando arceri, aſtipulantibus *Papo-*
nio & Mornacio. Idem citat *Ægyd. Magiſtr. de proſcript. c. 38.* di-

Quinam
 poſſint res
 ex auſtio-
 nibus eme-
 re?



centem, ignotos homines ac nullas res immobiles possidentes in eo loco, in quo auctio fit, arcendos esse ab hasta, id quod tantum de subhastatione rerum immobilium intelligendum censeo; nisi etiam iste ignotus emtor rerum mobilium pretij solutionis dilationem petat sine cautione, ubi tutius fuerit eum excludi. Ex Bud. quidem in forens. p. 30. liquet, quod non omnes inter licitantes sint admissi, qui dicti sunt, summoti ab hasta vel auctione. Alias etiam tutor ex auctione rerum pupillarum, ut alius extraneus emere potest, l. 2. §. 8. ff. pro emtor. non obstante l. 34. §. ult. ff. de contrab. emt. Et ait Budæus d. loc. p. 163. quod ab hasta minoris curator non submoveatur. Neque creditor à rebus pignori captis excluditur l. 16. ff. de reb. autor. jud. possid. l. 2. C. si in caus. jud. pign. capt. Neque debitor ipse, l. 22. §. 3. ff. mandat. & l. 52. princ. de action. emt. vend. Lud. Post. de subhast. inspect. 32. n. 49. Neque officit l. 9. §. 3. ff. de public. & vectig. quoniam alia est ratio emtionis sub hasta, alia conductionis. Excludendum tamen vult Anton. Matth. d. l. c. 6. præconem & scribam auctionis à licitationibus, quia facile calliditate suâ res minimo precio emere possint.

An ipse auctionator possit suâ licitatione res cariores reddere?

XXV. Huic quæstioni in publica auctione rarior erit locus, nec tale quid factum esse observavi. Si quis verò privatus res suas auctionatur, fieri solet, ut licitatione suâ alios superando pretium adaugeat, ut ipse interdum vincat. Id quod jure ipsi licere arbitror, quia rem suam propriam propriâ autoritate ea de causa sub auctione distrahit, ut facilius inveniat emtores & pretium promptum, non ut jacturam faciat. Et hæc ipsius venditio tantum differt à simplici quoad solennia. In simplici verò venditione si videt justum precium sibi sine damno pro merce non solum iri, potest eam sibi retinere. Adeoque iniqui illi sunt, qui ipsi venditori licitationem interdictam volunt, cupiuntque cum ipsius damno locupletari, quod est contra naturam, l. 14. ff. de condit. indeb. Faciliores interim & animosiores inveniet emtores & licitatores venditor in auctionibus, si non nimis cupide justum precium pro sua merce sibi solvi

ioivi urgeat. Et licet pretium non semper exacte conveniat, compensatur defectus arg. l. 4. §. 6. ff. de in diem addict. citiori solutione.

XXVI. Solent etiam interdum isti venditores quosdam licitatores subornare, qui sua licitatione reliquos ad plus licitandum excitent. Suppositus vero iste licitator, qui se simulat emptorem, quia verus emptor non est, non censetur sua licitatione vicisse priorem, arg. l. 4. §. 5. ff. de in diem addict. & l. 10. C. de distrab. pign. Præterea eundem simulatum emptorem crimine stellionatus puniri posse, arg. l. 3. §. 1. vers. sed & si quis ff. de crim. Stellion. censet Lud. Post. d. lib. inspect. 35. n. 250. Neque tamen quis pro simulato licitatore sine certis indicis haberi potest.

An liceat licitatore subornare?

XXVII. Ex supra dictis videtur & hoc dicendum, prodigum juridicè talem ex auctione nil sibi comparare posse, quia ipsi libera rerum suarum adempta est administratio. Verum enim vero cum prodigo non sit interdictum, quo minus res suas meliores facere possit, arg. princ. Inst. de autor. tut. & l. 11. ff. de acquir. rer. dom. quod commodè fieri potest, si res necessarias & utiles sibi ex auctionibus coëmat, hinc nullus dubito eum etiam ex hoc contractu teneri, modo non nimio, justo saltim vel etiam viliori emerit precio, inque suos usus rem comparatam converterit: vid. Luduvell. disput. ad Inst. 3. thes. 7. Neque temerè hoc in casu curator dissensu suo prodigi sui consensum intervertere debet, cum nemini facile damnum inferendum sit, quod maximè in auctionibus præsertim publicis præcavendum erit. Quod ad minorem attinet, iste pari passu cum prodigo hac in via ambulari posse videtur.

An prodigus & minor possint aliquid ex auct. emere?

XXIX. Sæpius hoc fieri solet, ut absens aliquis ex auctione sibi aliquid emi expetat, ideoque constituit mandatarium, ut sibi rem illam addici curer; quale exemplum suppeditat Cic. 14. epist. ad fam. 5. Mandatarius autem, si ipse illius rei sit futurus emptor, sibi potius consulit, quam alij: γόρου γὰρ κτήνους ἐγὼ σοῦν, Aristot. 9. Eth. 8. §. 11. Nisi mandans certum precium

Quomodo per mandatarium ex auct. possit emi?



cium denominaverit, quantum ipse mandatarius licitati profenolit. Adeoque si consentit, ex consensu tenetur actione mandati, *l. 8. §. 6. ff. mandat.* Consensisse autem censetur, si non renunciaverit, *l. 22. §. ult. ff. eod.* Hinc etiam tenetur mandatum exequi, & intra fines præscriptos manere, *l. 5. princ. ff. eod.* ita tamen, ut meliorem mandantis conditionem facere possit, *d. l. 5. §. ult.* non vero deteriore, nisi mandatum in genere conceptum sit, adeoque plenum & absolutum fuerit, quo posteriori casu videtur extra omnem culpam esse, licet mandans ista emtione sit læsus, quia sibi non melius prospexit, & videtur voluisse aliquam læsionem, quam tamen præcavere potuisset. Ut autem procurator seu mandatarius recte pro alio licitari possit, duo requiruntur: 1. ut habeat speciale mandatum, *arg. l. 16. C. de procurator.* Deinde ut admissus ad licitationem, ubi vicerit, nomen veri emtoris edat: alias perinde tenebitur, ac si ipse emisset.

An auctio-
nator pos-
sit pactum
facere de
vendenda
re sub certo
pretio.

XXIX. Interdum ipsi auctionatores privati cum alio pactum ineunt, ut licet alius extraneus plus licitetur, ille tamen plus licitanti præferatur, ubi non frustra quis dubitabit, an hoc illis jure liceat? *Tiraquell. de Retract. lignagier gloss. 18. §. 3. citat Jason. ad l. 122. §. 3. ff. de Verb. oblig.* & ait, quod si quis ex pacto aliquid vendere teneatur consorti, magis quam alij extraneo, sufficit ut consors offerat justum precium, etsi alius quispiam majus offerat. Verum ibi dicitur de coherede additis alijs conditionibus: alia tamen est ratio venditionis in auctione, ubi omnes ad licitandum convocantur, & iniquum foret, ut isti emtores pacto fraudulento excludantur, quod est illicitum, *arg. l. 7. §. 10. ff. de pact.* Omnium enim emtorum in auctione eadem esse debet ratio. Obstare quidem videtur *arg. l. 9. ff. de in diem addict.* Verum si explicetur per *l. 4. §. 6. eod.* non obstabit. Præterea in auctione videtur venditor potestati suæ in tantum valedixisse in eo, ut non possit addicere cui velit, sed semper plus licitanti & meliorem conditionem offerenti. Omnes enim convocavit ad auctionem, dum publicè eam proscripsit. Alias optimum

num erit, ut talia pacta in auctionibus intermittantur, quæ de
terrent emtores & irritant.

XXX. Agnatis olim in venditione rei familiæ immobilis Anagnatis
in auct. ha-
beant jus
prælationis ?
fuit jus prælationis concessum, l. 6. C. Theod. de contrah. emt. lib.
3. & l. 14. C. eod. id quod postea in ead. l. mutatum, & limitat illud
Tiraquell. de Retract. lignag. §. 1. gloss. 18. n. 1. dicens, non ferendum
esse consanguineum, qui minus precium offerat pro justo, quia
precia rerum non constituuntur ex affectione singulorum, l. 63.
ff. ad L. Falcid. & l. 33. ff. ad L. Aquil. Et notat Accurs. in gloss. magn.
ad L. 2. C. de rescind. vend. quod justum pretium non sit æstiman-
dum unius aut alterius licitatione, sed communi regionis æsti-
matione ex rei qualitate & quantitate. Jam quando agnatis jus
prælationis conceditur, tunc erit concessum, quando offerunt
justum ac verum rei precium. vid. Köppen Decis. 44. n. 39. § 40.
Facultas enim illa prælationis debet intelligi sine damno tertij,
arg. l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. public. Et illo casu venditor duplici
afficeretur damno, I quod invitus rem cogeretur vendere
consanguineo contra d. l. 14. II. quod partem pretij à sedati sine
ulla ipsius culpa amitteret, contrac. 23. de reg. iur. in 6. Est a rece-
ptum, non debere quempiam duplici damno affici aut onere, l.
4. §. 2. vers. quid ergo. ff. ad L. Rhod. de iact. § l. 16 §. 3. ff. ad Sc. Tre-
bell. & c. 4. §. ult. X de iudic. Adeoque quando dicitur in l. 16. ff. de
reb. aut. iud. possid. cognatum præferri extraneo, intelligendum,
si iustum precium ambo simul offerant; Cuiac. lib. 7. quæst. Papin.
ad l. 13. § 31. ff. famil. ercisc. & Nabil. Struv. in Syntagm. iurispr. exerc.
23. n. 57. Si verò extraneus ex fervore ultra æquum precium lici-
tetur, distinguendū videtur, cuius magis intersit rem habere; ita
si sit res aliqua, quæ faciat in splendorem vel aliquem usum sin-
gularem familiæ, ad eamque à multis annis pertinuerit, vel in-
tersit familiæ, potius rem illam perire, quam alteri vendi, ex-
traneo cognatus erit præferendus, arg. l. 29. ff. de reb. aut. iud. pos-
sid. ita tamen, ut offerat idem, quod ab extraneo adjectum, l. 35.
ff. de minor. l. 60. ff. de pact. & Lud. Post. d. l. inspect. 36. n. 55. & in ad-
dit. ad eand. inspect. nisi adsit contrarium statutum. Interest
enim

C

enim

enim interdum Reip. ut splendor familiarum retineatur l. 22. §. nec
verò C. de admnist. tut. & Gothof. in not. ibid. Quo tendit etiam A-
ristot. 2. pol. 5. inquit: καὶ τὴν ἑστίαν πωλεῖν οἱ νόμοι καλύπτουσι, ὡς περ
ἐν λοξεγῆσι νόμος ἐστὶ. Similiter Augustus teste Tacit. 2. Ann. 37. &
Nero, 13. Ann. 34. familiarum conservationi studebant. In priva-
tis v. auctiōibus hujus quæstionis exiguus erit usus, cum talia
melius nunquam in auctiōes deducantur.

An fiscus &
creditorum
habeant
prærogati-
vam præ-
reliquis li-
citorum
bus?

XXXI. Causas si respiciamus, ob quas auctiō publica in-
stituatur videtur non interesse fisci & Creditorum, ut ipsis res
ipsæ assignentur. Satisfactionem enim expetunt, quæ ipsis con-
tingere potest, licet alij sibi rem assignari curent; & hinc inutilis
hæc erit quæstio, an fiscus & creditores præ cognatis & reliquis li-
citoribus habeant prærogativam. Si vero eveniat, ut nulli alij
adsint emtores, & fiscus vel creditores rem sibi magis cupiant,
quam pretium, præfertur fiscus creditoribus, si nempe plures
unum idemque pretium licitentur, arg. l. un. C. de vendit. rer. fisc.
& l. 1. C. si propt. pensit. publ. Creditores deinde illi, quibus plus de-
berur, illis, quibus minus, præferuntur. Cuiac. lib. 7. quæst. Papin. ad
l. 13. §. 31. ff. famil. ercisc. arg. l. 22. §. 1. ff. de iur. fisc. &
l. 16. ff. de bon. aut iud. possid. Cuiac. lib. 10. Respons. Papin. ad l. 8 ff. de
pact. Et hi demum cognatis, hi verò extraneis. Nobilis. Dn:
Struv. in syntagm. Jurispr. exercit. 23. n. 54. Hinc Ant. Faber 5. Con-
iect. 15. æquissimum est, inquit, præferri in emtione creditores,
quorum præcipuè negotium geritur, ac quibus postulantibus
bona venduntur. Et notat ibid: Sabaudia statuto cautum esse de
privilegio creditoris, cujus nomine bona sub hasta venduntur,
ut extraneo emtori, si par precium uterque offerat, præferatur.

Materia
auct. quæ-
nam res in
auctiōes
deducan-
tur?

XXXII. Omnes ferè res, quæ in emt: venditionem dedu-
ci possunt, etiam sub hasta venire possunt. Ita auctiōi subiiciun-
tur bona debitorum nimis alieno ære gravata, l. 16. C. de rescind.
vend. l. 3. C. de execut. rei iud. l. ult. C. si propt. publ. pensit. Stevech. in
not. ad Veget. de re milit. lib. 3. c. 3. Cæs. de B. Civ. lib. 3. c. 20. modo de-
bitum sit certum, Ant. Fab. Cod. Fabr. lib. 8, tit. 17. defn. 6. Res
minoris, l. 7. §. 2. ff. de minor. Lud. Post. de subhast. inspect. 3. n. 1. Et
ex l. 9. ff. de rescind. vend. §. d. l. 3. C. de exec. rei iud. volunt Dd. res

absentis semper per subhastationem vendi debere. Nobiles ci-
vitates tanquam villæ, *D. Augustin. de Civit. Dei lib. 3. c. 28.* Agri
hereditarij, *Plin. 7. epist. xi.* Sedes avitæ, *Tibull. 2. eleg. 4.* Here-
ditates, *Cic. 14. epist. ad famil. 5.* Avorum prædia, *A. Prudent. lib.*
Peristeph. hymn. 3. v. 76. Bona eorum, quicives Romani contra
populum Rom. arma tulerant. *A. Hirt. de B. Afric. c. 97. Macrob.*
2. Saturn. 2. Ita *Plaut. in Epid. 2. 2. v. 51.* ostendit blanditias & lu-
xum mulierum viros subigere, ut auctiones faciant. Ita olim
etiam Romæ homines in auctione vendebantur, testibus, *Plaut.*
in Bacchid. 4. 7. 16. & *in Menach. 5. 9. 95.* *Sueton. in T. Claud. c. 9.* &
Cic. 2. ad Q. Fratr. 6. Ipsæ familiæ publicè distrahebantur. Ita
præda sub hasta venibat, *Plaut. in Pers. 4. 3. 39.* & *Liv. 2. 14.* ad
quem loc. vid. *Erasm. in Adag.* Similiter ager Rom. Romæ fuit
venalis, quem Hannibal castris infederat. *Flor. lib. 2. c. 6.* Eod.
modo in Italorum pecuniam & famam damnationibus & hasta
Corbulo sæviebat, *Tacit. 3. Ann. 31. 6.* Ita auctonibus repeteba-
tur, quod Neronis prodigalitate effusum erat, *Idem 1. hist. 20. 4.*
Similiter prodiga i. e. annonæ seu cibaria subhastabantur, *l. 5.*
C. de fid. § jur. hast. & gloss. ibid. Ita sub hasta distrahere solebant,
tripodes, armaria, cistas, Fabulas & Comœdias, *Juvenal. sat. 7.*
v. 5. Item hypothecas, *Bud. in forens. p. 170.* Et notat *Gothofræd. ad*
rit. de fid. § jur. hast. quod fiscalis hasta sit auctio, quæ fiat à fi-
fco de bonis caducis vel commissis vel obligatis.

XXXIII. Res Ecclesiæ sub hasta vendi posse, docet *auth.* An res Ec-
Hoc jus porrect. C. de SS. Eccles. & gloss. ibid. & nov. 120. c. 6. Ritterf- clesiæ pos-
hus. tamen *ad Novell. part. 1. c. 8. n. 44.* notat solennitates has ju- sint sub ha-
ris Civ. mutatas esse per jus Can. & consuetudines, testibus sta vendi
Axon. in comm. C. ad d. Auth. § loh. Fab. an eand. n. 38. quibus jun-
ge *Nobiliss. Brunneinan. ad d. auth. hoc jus porr. & Lud. Post. d. lib. in-*
spect. 2. n. 13. § seqq. Non vero obstat hic, quod res Ecclesiæ
sint res nullius, *arg. §. 7. §. 8. Inst. de rer. divis.* Et putat hinc *Ant.*
Matth. lib. 1. de auct. c. 12. n. 15. additionem non fore impedi-
mento, quò minus res sacra aut religiosa pro profana vendi-
ta quodocunque vendicari possit, *arg. l. 83. §. 5. ff. de Verb. ob-*
lig.

lig. & l. 30. §. 1. ff. de acquir. vel amit. poss. Illi objectioni ut satisfaciamus, distinguend. erit ex Nobiliss. & Consultiss. ViriD. Conring. Præceptoris & Patroni mei omni observantia colendi, *dissertatis publicis ad part. 3. c. xi. Lampad. de Rep. Rom. Germ.* quod alia bona sint proprie dicta sacra seu Ecclesiæ, alia improprie dicta bona sacra. Hæc in usus Reip. exigente necessitate, converti posse asserit. Junge *Ejusd. lib. de pac. perpet. p. 181. & seqq.* Intelligimus autem per bona improprie dicta sacra illa, quæ à privati ad usus sacros sunt dicata, quæ tamen superflua habet Ecclesia, de quibus etiam *Imp. in d. auth.* loqui videtur.

An res incorporeales?

Feudales?

XXXIV. Nullus etiam dubito, quin res incorporales etiam in auctiorem venire possint, cum eas habere possimus, arg. l. 34. §. 1. ff. de contrah. emt. l. 80. §. 1. ff. eod. & l. 8. princ. ff. de reb. aut. jud. possid. Rerum feudalium verò sub hasta alienatio videtur prohibita esse Vasallo, siquidem hæc sine consensu domini alienari non possunt, 2. feud. 52. & ss. & Nobiliss. Struv. in synt. feud. c. 13. Ut brevibus nos expediamus, distinguendum erit ex publ. dissertationibus Nobiliss. & Consultiss. Dn. Præsidis ad Wesemb. de iure feud. c. xi. 1. An dominus feudi consentiat in hanc alienationem, an vero non? 2. si consentiat dominus feudi, an sit feudum hereditarium, an vero ex pacto & providentia? Solo consensu domini feudum hereditarium rectè etiam hic poterit alienari. In feudo verò pactionato validè alienando præter consensum domini etiam agnatorum consensus rectè intervenire debet, quia hi in prima investitura simul censentur investiti. Poterit hic videri *Gail. lib. 1. obs. pract. 117. n. 2.* Notandum tamen ex Nobiliss. & Consultiss. D. Habnÿ, observ. ad Wesemb. ff. quib. ex caus. in poss. eat. n. 4. Ex Peretz ad C. de bon. auth. iud. possid. n. 17. & ex Hattysen. analys. iur. feud. c. 10. bona feudalia arg. l. 66. ff. de iure dot. tantum quoad commoditatem & fructus obnoxia esse venditioni & per consequens etiam auctiioni, quia aliàs non censentur esse in bonis debitoris.

Quorum bonorum auctio prius fieri debeat?

XXXV. Cum in omni benè constituta Rep. etiam sit attendendum, ut civibus bene sit; πᾶσαι γὰρ κοινωσίαι, teste Arist. 1. Pol. 1. ἀγαθὸν πᾶσι εἶναι ὄρωμεν συνιστηῖναι. Ut verò Resp. suum



statum factum & rectum habere possit, necesse erit, ut bona civi-
um singulorum conserventur, & inde ex l. 15. §. 2. ff. de re jud. &
d. auth. hoc jus porr. constitutum est, ut, si debitoris alicujus bo-
na venditioni publicæ sint damnata, prius mobilium, quæ si non
deleant debitum, postea etiam immobilium fiat distractio. Adde
Peretz. ad C. si propt. publ. pensitat. n. 2. Ratio istius constitutionis
est, quod pretiosiores sint mobilibus res immobiles & præcipu-
um patrimonij stabilimentum. Hinc etiam res mobiles prima
auctione addici transferrique solent; immobiles verò repetitis
certo dierum intervallo licitationibus. Neque etiam mobilia ita
semper proscribuntur, sed auctio futura per præconem publicè
denunciatur: at prædia proscribuntur.

XXXVI. Pervenimus jam ad formam auctionis, quam <sup>Quomodo
fieri solet
auctio ?</sup>
talem olim fuisse meminit Aug. Buchner. ad Plin. 7. epist. xi. pro-
ponebatur libellus auctionis futuræ publicè, indicabatur dies,
qui cum venisset, veniebant emturi & confidebant per subsellia,
ubi circumiens præco licentium precia exquirebat, qui maxi-
mum se daturum dixerat, huic res addicebatur. Junge Taubman.
ad Plaut. Epid. 2. 2. 51. illum autem, qui licebatur, digitum sub-
levasse, colligitur ex Cic. orat. in Verr. lib. 1. c. 141. si forsan plures
licitatorum fuerunt. Et patet ex nov. 120. c. 6. & l. 35. ff. de mino-
rib. & pluribus alijs LL. formam auctionis ferè eandem fuisse a-
pud vett. quæ hodiernum nostris est usitata, ut à minima quan-
titate ad majorem plures licitantes pervenirent. Et hodierno
more pluribus pulsibus emtores ad plus licitandum excitantur,
& si nolint ultra ascendere, ultimo plus offerenti tertio pulsu
ita dicto res addicitur, & illum, qui vicit licitando, sequentem
rem iterum licitari debere pro lubitu, volunt nostri auctionatores.
Audio tamen in quibusdam locis, & ni fallor, in Batavia etiam
rem quamplurimo precio subhastari, eumque, qui primus ex
ea quantitate aliquid deducendi in emtione se obtulerit, licita-
tione vincere. Notat etiam Ant. Matth. lib. 1. de auct. c. 12. n. 2.
olim ulterius licitari tamdiu licuisse, quamdiu una accensa can-
dela ignem aluit; quam tamen solennitatem in Batavia & Gallia
desi-

desisse memorat : eandem verò hodiernum in Westphaliæ quibusdam locis obtinere ex viris inde dignis percepit. Hisce iunge *Post. d. lib. insp. 35. n. 124. & Koppen decis. 44. n. 20.* qui subhastationem secundum locorum consuetudinem diversimodè fieri refert.

Quomodo
olim signi-
ficata sit
auctio?

XXXVII. Tabulis olim significatam fuisse auctiõnem, patet ex *l. 15. §. 32. ff. de injur. & l. 13. §. 6. ff. de action. emt. vend.* ex qua lege notandum videtur, quod qualitates rei in tabulis istis etiam fuerint denotatæ, ne deciperetur emtor. Idem docet locus *Cic. de Leg. Agrar. contra Rull. c. 66.* Varium aliàs tabularum fuisse usum apud vet. notat *Salmuth ad Panciroll. part. 2. rer. memor. & de per d. tit. 13.* Tabulæ istæ auctiõnum à *Cic. orat. in L. Catilin. 2. c. 18.* auctiõnariæ dictæ, aliquando ad tabernas argentariorũ sunt suspensæ, quod patet ex *Cic. pro A. Cæcin. c. 16.* ubi argentarij ipsi curatores auctiõnum instituti fuisse videntur, quo etiam faciunt *l. 18. ff. de hered. pet. & l. 88. ff. de solution.* Imo ipsi argentarij pretia rerum venditarum in tabulas redigebant, teste *Senec. in proæm. c. utrov. circa fin. ferè.* Idem *lib. 4. de benef. c. 12.* ostendit, libellis etiam proscrip̃tas fuisse auctiõnes. Talibus tabulis suspensis proscribentur etiam locationes ædium, testibus *Plin. 7. epist. 27. Terent. in Heautont. 1. 1. 92. Plaut. in Mercat. 5. 2. v. 19. & Brissou. selectar. ex jur. Civ. antiquit. lib. 3. c. 8.* Interdum teste *Plaut. in Menæchm. 5. 9. v. 95.* auctiõ futura, inter privatos per servos proclamabatur.

Quomodo
hod. signi-
ficentur au-
ctiõnes?

XXXIIX. Hodie in locum tabularum istarum successit apud nos usus schedulæ vel etiam catalogus typis impressus, qui rerum in auctiõne venalium accuratam exhibet descriptionem. Et sanè prudentes hac in re Batavi tales auctiõnes, privatas præsertim, per novellas etiam populis longe diffitis significant. Quoad catalogum autem conficiendum in genere fuerit notandum, quod ille exactam rerum qualiumcunque continere debeat descriptionem, ne, neglectâ illâ, turbetur venditio. Peccare etiam multi in eo videntur, qui librorum per auctiõnem vendendorum catalogo nolunt præfigere nomen illius viri defuncti, cujus bibliothecam isti libri antea exornârunt, qui

sanè seipfos lucro excludunt. Clarum enim nomen possessoris allicit & convocat plures emtores, qui vel libros vel etiam manum tanti viri videre & inter suos referre gaudent; adeò ut hic idem dicere possis, quod scribit *Cardinal Bibienne au Tullan de Medici de Madame de Nemours en epistres aux Princes 12. lib. 1. pour l'opinion desquelles chacun desire de la voir & honorer.* Et Batavi sanè alias satis cauti, semper possessorum, licet Viri sint clarissimi, ut *Heinsius, Scriverius, Dan. Weimannus & alij*, fuerunt, nomina præfigunt catalogis librorum vendendorum. Et docet experientia, illos hoc modo plures collegisse emtores valde hac in re religiosos.

XXXIX. Licet jam proscripita sit auctio, non tamen bene poterit peragi sine præcone, cuius varia olim fuisse officia constat, de quibus etiam videri potest *Marq. Freher. 2. verisim. 10.* Inter illa autem & hoc erat, quod in auctioibus rei precium indicaret, *Ian. Gruter. in animadvers. ad Senec. de Consol. ad Marc. c. 20.* & addictam à Magistratu rem venditam polliceretur. Patet autem ex *Horat. 1. serm. 6. v. 86.* præconum officium infimæ ferè conditionis in Rep. fuisse, quos voce sibi quæstum instituere ait *Cic. in or. pro P. Quinct. c. 11. & 12.* cui junge *Tiraquell. de Nobilit. c. 43. n. 48. & 49.* Et olim servi etiam in privatis auctioibus loco præconum erant, *Plaut. in Menachm. 5. 9. 95.* qui ante subhastationem rerum per urbem proclamabant certo die auctioem futuram. Hinc etiam hodie præcones apud privatos sæpius constituuntur eorum ministri. Obiter addo, in præconibus hoc non posse improbari, si sint aliquo modo faceti, & modicas præconio argutias inspergere sciant. Hisce enim quidam emtorum detinentur & quasi pascuntur. Et tales olim fuisse præcones arguit mihi juxta alios locus *Cic. in orat. pro Cn. Planc. c. 33.* Neque tamen temere quis arg. *l. 43. princ. ff. de contrah. emt. & Cic. 3. off. c. 55.* ex præconis commendatione rem sibi emet.

XL. Vbi olim factæ sint subhastationes, non ita evidens est, siquidem alibi atque alibi eas factas esse deprehendimus. Notanda hic sunt verba *Cic. in or. de L. Agrar, c. 6.* Et *Plaut. in Bacchid.*

De præcone.

Vbi olim factæ sint auctioes?



Bacchid. 4. 7. 17. In eo ipso stas lapide, ubi præco prædicat. Ex quibus colligi potest, certum locum fuisse, in quo olim auctiones habitæ fuerint. Vbi notat Taubmann. quod lapis locus eminens fuerit, & tanquam suggestus, unde præco prædicabat & vendebat: Et *Αἴθρον* Aristoph. suggestum vocat, quod fufius *Erasm. in Adag.* ad hunc locum explicat: & *Gothofr. in not. ad Cic. or. pro P. Quind.* c. 49. Idem *Cic. Philipp.* 2. c. 64. Cæsarem bona C. Pompeij M. hasta posita pro æde Jovis Statoris acerbissimæ voci præconis subjecisse refert. Forsan hoc asserere licebit, subhastationes publicas in foro civili plerumque fuisse peractas, siquidem fuere quasi executio pœnæ. Accedit, quod eis præfuerit Prætor vel Procurator Cæsaris. Locum istum, ubi olim subhastationes fiebant, vocat *Tertullian. in Apologet.* c. 13. Hastarium, ex quo etiam apparere videtur, auctiones in uno certo loco fieri non solitas fuisse. adde *Georg. Ambian. in Schol. adh. l. Privatæ* verò Romanorū auctiones, quin plerumq; in foro venali factæ sint, fere nullum adest dubium, cum ibi tantum præconis fiat mentio, uti plurimi loci ex *Plaut.* demonstrant, & privati eam instituerint. Quoad nostras privatas auctiones optimum esse videtur, ut in loco aliquo publico aut quasi publico fiant, quo omnibus liberior sit aditus & aspectus.

In quonam
foro fieri
debeat au-
ctio?

XLII. Si de jure quærat, in quonam loco seu foro fieri debeat auctio publ. bon. respondetur ex *l. 1. ff. de reb. aut. jud. possid.* l. 5. §. ult. ff. *judic. solvi*, ubi is, unde petitur, domicilium habet. Et hoc plane his verbis significatur, venditionem bonorum esse faciendam, auctore judice congruo & competenti, *l. 9. C. de bon. aut. jud. possid.* ut possessionem quoque bonorum certum est dari debere a judice competente *l. 5. C. eod.* Adde *l. 13. §. 3. C. de judic.* & *Post. de subhast. inspect.* 16. Vel ut subjicitur in *l. 3. ff. de reb. aut. jud. ubi contraxit.* *Peretz. ad h. tit. C. n. 16.* Nam quoque ratione contractus fortimur forum, quod aliàs, si ibi non contraxissemus, esset nobis incompetens. Contractum autem non eo tantum loco intelligitur ex *d. l. 3.* quo negotium gestum est, sed ubi pecunia est solvenda.

XLII.

XLII. Neque etiam quavis die præsertim Dominica fieri posse auctiones videtur *arg. l. 3. § 7. C. de ferijs.* Accedit, quod *Levit. 23. v. 3.* dicitur, cessandum esse ab omni opere servili. Præconizationem tamen ut vocant, fundi venalis die feriato fieri posse, quod sit actus voluntariæ jurisdictionis, *Egyd. Magist. decis. in tr. de bon. proscript. c. 15.* notat. Cui expresse obstat *l. ult. C. de fer.* quod die Dominico horrida vox præconis filescere debeat. Optime sane distinctione res expediri poterit, quatenus alia auctio publica & necessaria est, alia vero privata. Et hoc posteriori casu iterum distinguendum inter res, quæ auctione venduntur, an sint res egregiæ fungibiles, vel tales, quæ non patiantur morâ, an vero aliæ longius distitæ, vel quæ ulteriorem requirant inspectionem, vel quæ sine tricis non facilè distrahi. Illarum auctio die solis peragi poterit, non obstante *cap. 1. X. de fer.* modo instituatur finitis sacris, siquidem ex Admodû Reverend. & Ampliss. D. Frid. Utr. Calixti prælection. *publicis dieb. Domin. habitus, de Operibus Sabbathi,* hoc licet colligere, posse alia opera die Sabbathi peragi, modo non afferant impedimentum sacris, & alios excessus, quibus sacra mutilari solent, non inferant; imò præcaveant, ne ad alios indecentes aut non æquè utiles actus procedatur, & fiant in bonos usus. Si vero quis posset promittere, homines etiam finitis sacris publicis, domi sacris meditationibus operam duros esse, quin hoc respectu auctio nem in alium diem differri melius sit, nullus dubito. Quod verò attinet subhastationem bonorum publice ob debita fisci proscriptorum, rectius illam diebus solis peragi posse negatur.

An die Dominica fieri possit auctio?

XLIII. Ut autem fiscalis ista subhastatio procedat, oportet, ut debitor coram iudice interpellatus fuerit, & in solutione debiti cessaverit. *gloss. in l. 1. C. de fid. § jur. hast. l. 16. C. de re scind. vend. & l. 3. C. si propt. publ. pensit.* Quapropter procurator Cæsaris non nisi causa cognita & citato debitore, *arg. l. 4. C. de distract. pign. de cuius præjudicio agitur,* decernere potest bonam venditionem, aut admittere adjectionem, *arg. l. 39. ff. de adopt.*

Quando procedat auctio fiscalis?

D

§ l.



§ l. 47. ff. de re iud. astipulantibus Guil. Bud. in forensib. p. 10. &
 Ant. Fab. C. Fabr. lib. 8. tit. 17. def. 20. n. 7. Vel si debitor per pro-
 curatorem intercesserit, Procurator ejus erit citandus. Rebuff.
 de precon. art. 5. n. 9. Nec aliter futura auctio procedebat, quam
 decursis hastis i. e. xx. diebus solennibus publicè res stetisset ve-
 nalis, propositique fuissent libelli in celebrioribus locis, ut ven-
 ditio omnibus innotesceret, l. 6. C. de fid. § iur. hast. & d. auth. hoc
 ius porr. Peretz. ad tit. C. de distract. pign. n. 7. & Nobiliss. Brunne-
 mann. ad l. 1. C. de fid. § iur. hast. & ad l. 2. C. si propt. publ. pensit.
 Et Ant. Fab. d. C. Fabr. lib. 8. tit. 17. def. 4. § gloss. ad l. 1. C. de
 fid. § iur. hast. requirit omnes solennitates, quæ si omissæ, & or-
 do debitus non sit servatus, præsumitur dolus. Alciat. reg. 3.
 Præsumt. 13. n. 12. Istos dies additionis quidem posse à iudice
 prorogari, non verò arctari, Bartol. ad l. 4. C. de fid. § iur. hast.
 statuit, arg. l. 2. ff. de re iudic. Iphis tamen solennitatibus subha-
 stationis non possumus renunciare, Lud. Post. d. lib. inspect. 31.
 quia sunt juris publ. & in favorem omnium & singulorum cre-
 ditorum introductæ.

Per quanti-
 tum tem-
 pus debitor
 cessare di-
 catur?

XLIV. Per quantum autem tempus sufficiat cessasse, non
 est lege expressum, & ideo dici potest secundum Azon. quod
 biennium debeat transire, sicut in colono privati, l. 54. §. 1. ff.
 locat. & l. 56. eod. Et sicut in emphyteuta rei ecclesiasticæ, ex nov.
 120. c. 8. junctâ, l. 3. §. 1. C. de iure dom. impetr. biennium est, l. 2.
 C. de iure emphyt. Et illud sane æquitati magis consonum est,
 quam ut debitores statim rebus suis priventur, præsertim non
 urgentibus publicis necessitatibus. Hinc ait Nobiliss. Brunnem.
 ad l. 16. C. de rescind. vend. n. 4. sub hasta bona vendi non debere,
 nisi quis diu cessaverit, & debitorum mole pressus sit. Quam-
 vis alij dicant, statim, ex quo est cessatum, subhastationem fieri
 debere per l. 1. C. si propt. publ. pensit. arg. l. 4. C. de vedigal. §
 commiss. & l. 7. ff. de publican. § vedlig. ex quibus tamen hoc evi-
 denter probari non potest: hinc prior sententia, tanquam huma-
 nitati magis consona, mihi videtur amplectenda, nisi ipsa neces-
 sitas aliud imperet.

XLV.

XLV. Proscripta igitur re subhastanda immobili intra cer-
tos dies, poterant intra illos justum pretium licitatores offerre,
atque illi, qui in licitatione vicerat, res addicebatur, quò facit
l. 1. C. de vendend. reb. Civ. Consultius autem fuerit, si prius res
æstimetur ex *l. 10. C. de rescind. vend. & Nob. Brunne man. ad eand.*
astipulante *Anton. Fab. C. Fabr. lib. 8. tit. 17. def. 7.* antequam di-
strahatur, ad evitanda incommoda, quæ possint intervenire in
præjudicium debitoris citra justum rei pretium. Iustum autem
pretium ex præsentis æstimatione constitui D. Fratres rescripse-
runt, *l. 3. §. 5. ff. de iur. fisc. & l. 33. ff. ad L. Aquil.* quod per subha-
stationem etiam fieri posse asserit *Köpp. decis. 44. n. 19.* In auctio-
ne vero privata æstimatio rerum non est in usu, ubi semper illi
addicitur, qui plus offert, licet inrerudum dignitatem rei preci-
um excedat. Neque commodè semper hic æstimatio rerum ad-
mitti potest, quoniam plures sæpius unius rei cupidi adsunt ob
diversas causas euentes, alij enim ob raritatem, alij ob insignem
sibi utilitatem & splendorem, alij aliam ob causam rem suam fa-
cere gaudent. *Grot. de I. B. & Pac. lib. 2. c. 12. §. 14.* Deinde mul-
tæ res tanti non venduntur in auctiõibus nostris, quanti æsti-
marentur, hinc admittitur compensatio. Et ipse auctionator
potest sibi prospicere, ne nimis lædatur.

XLVI. Quoad ratihabitionem emtionis ex subhastatione
observandum est unum speciale fisci privilegium, quod in ejus
venditione licitatione ve publicè facta tacita lateat conditio,
quod ita demum venditio rei ficalis rata maneat penes eum,
cui addicta, nisi alius intra præscriptum licitationis tempus ve-
niat, allaturus meliorem conditionem, *l. 4. C. de fid. & iur. hast.*
qui si adsit, nova fit licitatio, & plus offerenti res iterum addici-
tur. Neque si primus, in quem addictio facta fuerat, idem pre-
tium offerat, quod secundus licitator obtulit, secundo præfere-
tur, nisi meliorem conditionem offerat. *Peretz. ad tit. C. de fid.*
& iur. hast. n. 6 Si verò duo vel plures emtores licitentur, ut in-
certum sit, uter prior sit licitatus, denuo per præconem res erit
prædicanda, & sic facilè emerget victor. Tum demum autem
emtio perfecta dici potest in subhastatione, quando instrumen-

Quomodo
contraha-
tur emt.
venditio in
auctiõne

Quomodo
perficiatur
emtio rei in
auctiõne.



tum additionis est completum. Voluntaria autem sive privata auctio perfecta censetur, simul atque augendi seu adjiciendi facultas præcisa erit.

An statim
pretium sol-
vendum in
ipsa auct.

XLVII. Si sequi voluerimus Divorum Fratrum constitu-
tionem, dicendum erit, non antè rem fieri emtoris, quam pre-
tium fuerit exsolutum; quapropter ille, cui jus distrahendi res
fisci datum est, curare debet, ut præsentè pecuniâ res vendatur,
non etiam, ut fides de pretio habeatur, *l. 5. §. 1. ff. de jure fisc. glos.
ad l. 3. C. de fid. & iur. hast. & in l. 15. §. 7. ff. de re judic. Cujac. lib. 24.
Obs. c. 27.* Quò etiam facit sæpe citatus loc *Plaut. in Menech. sc.
ult. v. 97. & Ant. Fab. 5. Conject. 16.* ait, eam esse publicarum ven-
ditionum conditionem, ut res pignori captas & distractas præ-
senti pecunia distrahi oporteat, quia eâ mente fiat venditio, ut
debitoris persona liberetur, non ut mutetur. & in *C. Fabr. lib. 8.
tit. 17. def. 22. n. 1.* Habet etiam Procurator Cæsaris limitatum
mandatum, sic ut non possit res vendere habitâ fide de pretio,
cum vendat ex causa necessaria, ut sibi satisfiat, quod non pot-
est fieri, nisi soluto pretio. *Peretz. ad C. de fid. & iur. hast. n. 4.
& Bud. in forens.* Et si mihi rem decidere licet, tutius esse etiam
in auctione privata censeo, ut statim pretium exsolvarur, ne di-
lata solutione auctinator lucro suo excidat: quamvis interdum,
dum intra certum tempus solutio permittitur, plures sese offe-
rant emtores, animosioresque licitatores.

An liceat
ante tem-
pus aucti-
oni statu-
tū aliquid
ex rebus
proscript.
vendere?

XLIX. Non verò in auctione licere auctinatori vide-
tur, ut res proscriptas ante vel post statum diem modo etiam
extraordinario vendat; quoniam hoc noluisse præsumitur, qui
certum diem venditionis publicè designavit. *Ant. Fab. C. Fabr.
lib. 8. tit. 17. def. 3. n. 6.* Et fallit ita futuros emtores, qui forsitan
ob hanc vel illam rem auctiori adesse cupiunt. Fraus vero &
dolus vitiant contractum, *arg. l. 7. princ. ff. de dol. mal. l. 3. §. fin.
ff. pro soc.* Neque ita ad potentes emtores temerè provocare licet,
quasi illi rem aliquam ex subhastandis ante dictum diem com-
paraverint, sub qua præensione plures nectunt fraudes. Ut
vero istæ fraudulentæ excusationes & præensiones præcave-
antur,

antur, consultum erit, ut catalogus rerum in auctione vendendarum scriptus talibus potentioribus emtoribus exhibeatur, qui sibi, quas cupient, eligant, & postea imprimatur. Aut si velit auctorator illis catalogum typis exscriptum mittere, tamdiu reliquos sibi retineat, donec, quid superioribus emtoribus placuerit, innotescat, quod deinde in catalogis emittendis notari debet.

XLIX. Potissimus auctoris publ. finis est, ut fiscus suum recipiat, ne ob ejus defectum tanquam stomachi totum Reip. corpus concidat, arg. l. 1. C. si propt. publ. pensit. Populo enim, teste *Saresberiens.* nihil utilius est, quam ut Principis necessitas expleatur. Deinde ut etiam reliquis Creditoribus satisfiat, ne membra Reip. pristino suo vigore priventur. Hoc enim necessitas publicæ rationis exigit, arg. l. 16. C. de rescind. vend. Si enim debita non solvantur creditoribus, ipsi ad incitas rediguntur. Vbi vero paupertas inter cives dominatur, marcescit Resp. & evenit, quod dicit *Theognis in sent. distich 89.*

Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πένη δὲ δμῶν ἐν ᾧ ἔτε τι εἶπεν
 ἔξ' ἐργῶν δύναται.

Finis autem privatæ auctoris ferè idem cum fine emt. venditionis esse videtur.

L. Effectus auctoris præcipue consistit in obligatione bilatera, quâ uterque & emtor & venditor ad rem præstandam astringitur. Illius ad pretium statim solvendum obligatio est: contra venditor ad mercem seu rem venditam præstandam obligatur. Et hoc habet auctio commune cum emt. venditione, de qua Nob. & Consultiss. D. *Hahn. in observ. ad Wesemb. paratit. de contrah. emt. n. 12.* Deinde hoc etiam fiscalis auctio præstat, ut venditio à fisco solenniter facta non retractetur, prætextu re-scripti vel minoris ætatis, l. 5. C. de fid. & jur. hast. Retractare enim fiscum, quod semel vendidit, æquitatis honestatisque ratio non patitur.

LI. Consensu de precio & merce perficitur pura emtio venditio, l. 9. ff. de contrah. emt. Est enim ἐξ ὅριον οὐρά μαγμα, ex auct. tenetur stare emtionis?



Aristot. 5. Eth. 2. §. 33. Iam verò auctio species est emtionis venditionis, & est emtoris hic ante initum contractum nolle, qui potest velle. Cum jam potuerit nolle, quod voluit, meritò etiam tenetur ex voluntate sua alteri, quocum contraxit, *arg. l. 5. C. de oblig. & action.* & consequenter tenetur etiam auctiois contractum implere & stare legibus illis, quas sibi ipse dixit. Adeoque emtioni rerum ex auctione non potest simpliciter renunciare, nisi aliquid intervenerit, quod latuerit scientiam ipsius, & consensum impediverit, *arg. l. 15. §. 1. ff. de contrah. emt.* Neque enim hic idem est, quod in simplici emt. venditione, ubi si non hoc, alio tamen die res potest vendi, hic enim ubi dies venditionis semel venit, venditur res, nec post intervallum eadem commoditas auctiois est speranda, neque commodè differri potest.

An disensus in re per auctioem vendenda faciat emtionem nullam?

LII. Varias res in auctioem deduci, ex supra dictis satis clarum est, ob quam varietatem fieri potest & solet, ut interdum emtores non satis sibi prospiciant, & emant aliquid sub hasta vel prorsus aliud, vel tantum quoad qualitates diversum, ubi dubitari potest, an, si postea rectè rem perspiciant, & dissentiant, vitietur isthac emtio venditio, & nulla reddatur? si sequi volumus *l. 9. princ. ff. de contrah. emt.* dicendum erit, imperfectam esse emtionem & nullam, si in corpore sit dissensio. Si v. in qualitatibus tantum res variet, *arg. ejusd. l. §. 2.* valida erit venditio, quoniam istæ qualitates non vitiant totam rem. Vbi tamen attendendum quoque erit, an qualitates istæ in catalogo auct. non rectè sint proscriptæ, an verò rectè sint proscriptæ, & emtor sibi non satis prospexerit. Priori casu nulla est venditio, quia fraus venditoris latere præsumitur. Delictum enim præsumitur, quando actus primâ fronte habet majorem formam delicti quam boni. *Alciat. reg. 3. præsumt. 1. n. 5.* Posteriori latentes negligentem emtorem qualitates contractum non vitiant.

An vitium latens in re subhasta vitiet subhastationem?

LIII. Similiter vitium latens, quodque quis ignorare potuit nec debuit scire, vitiat auctiois contractum, *arg. l. 13. princ. ff. de act. emt. vend. Mynsing. cent. 6. sing. Observ. 39. n. 2.* Junge *Grot. lib. 2. de I. B. & P. c. 12. n. 9. & Cujac. in lib. 2. respons. Papin. ad l. 41.*

l. 41. ff. de action. emt. vend. Illud autem vitium, quod quis scire potuit, non ita facile vitiat contractum, quia emtori in auctione mercem inspicere licuit, quam si noluit inspicere, suæ ipsius ignorantia causa est.

LIV. Sæpius etiam in auctiōibus præsertim pluribus præsentibus emtoribus fieri solet, ut unus vel alter licitetur rem, quam quidem non vidit, cum proclamatur, ubi dubium non erit, quin stare teneatur emtioni, si nemo eum licitando superaverit, quia rem, quam emit, novisse sibi que expectasse præsumitur. Neque vero illi scurrilitate suâ alios licitando fatigare licet. Quapropter parum ipsi allegatus proderit dissensus, nisi in ipso corpore, *arg. l. 9. §. 2. ff. de contrah. emt.* dissentiat. Deinde videtur etiam hic admitti posse distinctio, an revocet contractum durante adhuc auctiōe, an vero ea finita? Priori modo si læsus sit, & possit probare, se putasse rem aliam fuisse, poterit forsan licitationem suam revocare, quia nondum plenè consensum suum declaravit, *arg. d. l. 9. princ.* Finita vero auctiōe *arg. l. 54. ff. de contrah. emt.* revocare non poterit, quoniam sibi melius cavere debuisset. Et alterum propter alterius imprudentiam damno affici debere *ex l. 75. ff. de reg. jur.* iniquum foret. Ex quo etiam patet, quod non liceat præconi emtorem fallere in eo, ut scilicet v. g. in auctiōe librorum incompactorum duo exemplaria simul colligat & proclamet, & deinde unum tantum emtori tradat. Sæpe enim emtor librum æstimat ex quantitate materiæ, si verò dolosè quis materiam augeat, concidit contractus, *Mynsing cent. 6. sing. Observ. 38. n. 3.* Dolus enim hic causam contractui dedisse censetur.

LV. Quamvis autem liceat interdum in contractibus nominatis & innominatis pœnitere, teste Nobiliss. & Consult. *D. Hahn. in obs. ad Wesemb. ff. de præscript. verb. n. 3.* non tamen licet in emtione, *l. 12. C. de contrah. emt.* & *arg. l. 39. C. de transact.* nisi utriusque contrahentium consensus ad dissolvendum interveniat, *l. 1. §. 2. C. quando licet ab emt. disced.* Iam verò si unius dissensus non sufficit ad evertendum contractum emtionis per pœni-

An si quis rem subhastatam non viderit, tamen licitatus sit, teneatur stare contractui?

An liceat pœnitere in auctiōe?

pœnitentiam, multò minus idem poterit efficere in auctione, ubi magis interest venditoris, emptorem non pœnitere. Cbijcitur quidem, quod contractus ex auctione sit imperfectus, dum ulterius licitari licet. Vbi vero contractus nondum est perfectus, dicunt posse aliquem liberè pœnitere. Verum enim verò hoc quidem verum est, quod in auctione cuiusvis ferè plus licitandi sit potestas, quæ tamen reliquis adimitur, si res ultimo licitanti plenè est addicta, & tunc emt. venditio fit perfecta, *arg. l. 7. princ. ff. de contrah. emt. & l. 8. ff. de peric. & commod. rei vend. Adeoque non audiendus est Bartol. ad l. 9. ff. de public. & vectig. n. 4. qui censet posse emptorem pœnitere, dum modo publicè revocet, quomodo publicè adjecerat, arg. l. 35. & 153. ff. de Reg. Jur. & Lud. Post. de subhast. inspect. 34. n. 21. p.* Verum non licet uni contrahentium pœnitere, quoniam ea auctionis natura est, ut unusquisq; adjectioni à se factæ stare teneatur. Deinde si statim pœniteat, potest terrere reliquos emptores, ne facilè eandem rem eodem precio coemant. Accedit, si post aliquod intervallum pœniteat, auctione finitâ, auctinator ead. facilitate eodemque pretio non potest alii vendere, & hoc modo auctinotorem duplici afficit damno, cum nemo dupliciter sit onerandus, *arg. l. 16. §. 3. ff. ad SCT. Trebell.* Neq; etiam aliquis potest consilium suum in detrimentum alterius mutare, *l. 75. ff. de reg. jur.* Si vero consentiat auctinator in pœnitentiam alterius, ipse forsan majoris lucri, poterit benè pœnitere, præsertim in auctione privata, ubi utriusque contrahentium consensu convalescit pœnitentia.

An in sub-
hastatione
etiam ad-
mittatur re-
tractus?

LVI. In auctionibus voluntariis nil ob stare video, quò minus aut ex pacto de re vendendo aut jure sanguinis fundus retrahatur. Quoad auctionem vero judicialem seu necessariam erit distinguendum, an bona nondum sint addicta plus licitanti, adeoque consanguineus statim post licitationem ab extraneo factam idem offerat precium, an vero bona sint ei decreto judicis jam tum addicta, qui plus licitatus est. Prior casus admittit retractum, non vero posterior. Nobil. ff. D. Struv. in syn-
tagm. Jurispr. exercit. 23. n. 63. Eand. distinctionem afferit Anton.
Matth.

Matth. de auct. lib. 1. c. 16. n. 47. Non tamen vult admittere retractum in judiciali auctione, forsan ut morem apud Batavos receptum eò melius tueatur.

LVII. Cum etiam nemo invitus vendere cogatur, *arg. l. 26. C. de jur. delib.* sequitur eum, qui proscripsit, posse voluntatem suam mutare, licet libelli proscriptionis celeberrimis in locis civitatis sint propositi, ut vult *Ant. Matth. lib. 1. de Auct. c. 8. n. 27.* Magis tamen mihi Bartoli sententia arridet ad *l. p. ff. de publican. §. vectig. n. 4. & Damhouder. de subhast. c. 5.* proscriptionē istam publicè revocari debere, *arg. l. 11. §. 2. ff. de instit. act. nisi mos illius loci hoc ferat, ut dejectio libellorum proscriptionis auctiōnem non futuram denotet.* Neque enim illud, quod nemo invitus vendere cogatur, hoc evincit, quod si quis auctiōnem proscripserit, possit liberè desistere sine revocatione, qui omnes ad emtionem publicè convocavit; adde *Post. d. loc. inspect. 34. n. 2. §. 4.* Iste enim futuros emtores facilè potest damnis implicare, vel etiam lucro aliunde futuro excludere. Quoad auctiōnem autem, quæ ex jud. cis auctoritate fit, neque executori, neque curator bonorum suâ voluntate desistere licet; sed ita demum, ut justa desistendi causa sit, & cum voluntate creditorum revocetur.

An licent
proscriben-
ti auctiō-
nem postea
desistere?

LIX. Si jam res aliena per auctiōnem fuerit alienata, & de evictione agitur, distinguendum erit inter publicam & privatam subhastationem. In hac venditor non minus de evictione tenetur, ac si citra auctiōnem vendidisset, nisi publicè denunciaverit, nolle se de evictione teneri; aut si publicè proscripserit, venditurum se, quicquid juris in illo fundo habeat: quæ tamen denunciatio in tantum prodest auctiōnanti, ut ne in id, quod interest, conveniri possit; ceterum pretium nihilominus restituere tenetur, dolumque malum præstare, *l. 6. §. ult. l. 11. §. ult. ff. de act. emt.* Fiscum etiam de rei sub hasta fiscali venditæ evictione teneri, asserere videtur *Vlp. in l. 5. ff. de jur. fise.* Distinguendum tamen erit; adeò, ut si fiscus rem quasi suam venderit, præstet evictionem; sin tanguam rem debitoris, non præ-

Quâdo au-
ctiōnator
teneatur de
evictione?

E

stet.



Pet. Si vero creditor vendat rem oppignoratam, censet *Anton. Fab. Cod. Fabr. lib. 8. tit. 32. def. 4.* eum non quidem teneri de evi-
ctione, sed ad præstationem ejus quod interest emtoris. Et prio-
ri quidem casu simplum tantum præstat, licet duplum prom-
ferit. Imò hodie si fiscus rem alienam pro sua distraxerit, non po-
test ea res emtori evinci, sed adversus fiscum dominus ex *l. 3. C. de quadrienn. præscript.* intra quadriennium experiri debet.

An benefi-
cium re-
scind. vend-
eriam loci
habeat in
auctione?

LIX. Servatis igitur prædictis solemnibus & lapso tem-
pore, quod in fiscalibus auctionibus statutum est, perpetuo ju-
re dominij res penes eum manet, qui in licitando vicit, & pr-
tium solvit, *l. 4. C. de fid. & jur. hast. l. 5. ff. de jur. fisc.* Et hinc etiam
negandum videtur, dari hic beneficium rescind. vend. quia se-
mel res publicâ autoritate procuratoris Cæsaris sive filci vendi-
tæ sunt. Quò tendit *Ant. Matth. lib. 1. de auct. c. 10. n. 38.* & pu-
tat beneficium rescind. venditionis non habere locum in fiscali
auctione, sed tantum in voluntaria. Eod. faciunt *l. 8. C. de remiss. pign. l. 2. C. ne fisc. rem quam vendid. & Pet. Philip. Corneus part. 3. consil. 56.* Præterea tutius bona per auctionem distrahantur, si
prius æstimentur. Si vero secundum æstimationem bona ven-
duntur, non temerè locum poterit invenire rescissio, quia h. m.
exclusa videtur læsio. Neque dubium est, quin si quid in auctio-
ne publ. citra autoritatem procuratoris filci sit distractum, nulla
sit venditio, *l. 2. C. si propt. publ. pensit.* Dari tamen debere rescis-
sionem venditionis, si alter in subhastatione ultra dimidium læ-
sus sit *arg. l. 2. C. de rescind. vend.* videtur; quoniam lex generali-
ter loquitur, eademq; ratio humanitatis hic militat, quæ in sim-
plici venditione. Adde *l. 16. C. eod. Gothofr. & Peretz. n. 19. ibid. & Pinell. ad d. l. 2. p. 2. c. 2. n. 12. l. 3. C. de jur. fisc. l. 9. ff. de rescind. vend. Post. dict. loc. inspect. 59. & in decision. 53. n. 1. Vultej. de jurispr. Rom. lib. 1. c. 35. n. 84. & Nob. Brunnem. ad l. 16. C. de rescind. vend. n. 3.* Non enim fraudulentam læsionem in publ. subhastatione
intervenire repugnat, maximè cum improbas & inconsideratas
pretij additiones licitantium calor sæpè soleat excitare. Iunge
Barthol. Socin. fallent. reg. jur. 531. n. 2. in lit. V. Vbi tamen subha-
stationes

Stationes quidem rescindi, sed non decretum vult *Post. in addit.*
ad inspect. 59. n. 1. & in decis. 128. n. 26. Adeatur *Peretz. in prælect. C.*
de jur. fisc. n. 40. & 43. & Nob. Struv. in syntagm. Jurispr. exercit. 23.
n. 91. Rectissime interim hoc restringit *Nob. Richter. part. 2. de-*
cis. 99. n. 200. ad casum dolosæ ac malitosæ licitationis, cui junge
Ant. Fabr. C. Fabr. lib. 4. tit. 30. des. 4. n. 7. & Nob. Carpz. l. 4. resp.
jur. tit. 1. resp. 1. n. 23. & seqq. quò facit etiam *Constit. Elect. Sax. 32.*
part. 1. §. würde sich aber &c. Oportet enim subhastationes sine
fraudulenta collusione ac læsione decurrere, ne inde injuriarum
oriatur occasio, unde jura nasci solent, *l. 6. C. unde vi. & Fachin.*
lib. 2. controu. 20. & 21. Alias non facilè hic rescindenda est emtio,
arg. l. 7. §. 2. & l. 24. §. 1. ff. de minor. ne postea difficilius reperian-
tur, qui ad ejusm. emtiones velint accedere. In privata v. auctio-
ne facilius rescindi poterit venditio, si læsionem ultra dimidium
factam esse valida adsit probatio. Neque tamen si quis stultus
& imprudens immenso pretio emerit, datur beneficium hoc re-
scind. venditionis, quia illud tantum ob immodicam fraudem
omnes Leges & constitutiones, teste *Cujac. in lib. 33. Paul. ad Edict.*
ad l. 22. §. ult. ff. locat. dant venditori, non vero stulto emtori.

LX. Perfecto emt. venditionis contractu rei venditæ pe-
riculum statim ad emtorem pertinet, *l. 8. princ. ff. de peric. & com-*
mod. rei vend. Val. Arithm. disp. 9. thes. 4. in peric. Academ. 1. & Rit-
tershuj. ad L. 23. ff. de R. I. c. 7. Bachov. ad Wesemb. ff. eod. & l. 1. C.
eod. Idem dicendum erit in contractu auctio-
nis, quod omne pe-
riculum ad emtorem pertineat, *l. 15. §. 6. ff. de re judic.* Idque eò
magis, quia emtor ex auctione statim solvere tenetur, *ead. l. §.*
7. distinguendum tamen erit inter auctionem publ. & privat. Illa
convenit hic cum in diem additione, quæ fructus intra tempus
additionis perceptos venditori tribuit, si nempe alius melio-
rem offerat conditionem, *l. 14. §. 4. l. 16. ff. de in diem addit. & l.*
20. ff. de jur. fisc. ubi gloss. Qui enim scit commodum, etiam sen-
tire debet incommodum, *arg. l. 10. ff. de Reg. jur.* Perfectâ verò
additione periculum ad emtorem pertinet, siquidem fructus
rei subhastatæ pertinent ad licitatore[m] non ex die licitationis,

Ad quam
pertineat
periculum
rei sub au-
ction. ven-
ditæ?

fed ex die additionis. ex d. l. 50. & Anton. Matth. de auct. c. 10. n. 40. quæ emtorem statim facit dominum, arg. §. 6. & 7. Inst. de offic. jud. non ita possessorem, arg. l. 3. §. 1. & l. 8. ff. de acquir. vel amitt. poss. quæ possessio jure Civ. in subhastatione non prius censetur translata, quam pretium solutum, vel alio modo satisfactum sit, arg. l. 9. in fin. ff. de rescind. vend. Is autem qui auctio-natus propriâ voluntate, res venditas emtori tradere debet, & rerum judicis decreto subhastatarum traditio fit vel per execu-torem vel per præcones civitatis, vel per ipsum judicem. Nec obstat, quod dicit Grot. l. 2. de I. B. & P. c. 12. n. 15. cui Consultiff. D. Hahn. in obs. ad Wes. ff. de peric. & commod. rei vend. n. 1. fusius respondet. Et si mihi recte licet perpendere verba Grot. vide-tur asserere diversa. Primò enim cum dicit: quod si actum sit, ne statim dominium transeat, interim res erit commodo & periculo venditoris: cū jure Civ. sentit. Siquidem conventum sit in emtione, ut vendito-ris commodo & periculo res sit, donec dominium transeat, recte etiam venditor ex pacto tenetur, arg. l. 7. §. 5. in fin. & l. 43. ff. de pact. l. 8. C. de pact. int. emt. & vendit. & l. 10. ff. de peric. & commod. rei vend. Quod verò paulò post dicit: quod res periculo est emtoris, sunt commenta juris Civ. videtur hoc velle, quasi illud juri nat. & gent. non sit conforme, cum tamen supra asseruerit, ex jure, uti vide-tur, nat. & gent. si convenerit emtor cum venditore, ne statim dominium transeat, esse rem periculo venditoris, & infra dicit esse commentum jvris Civ. Iam dico, si hoc non est juri nat. & gent. conforme, sed commentum juris Civ. rem periculo esse emtoris, non opus esse videtur ex jure nat. vel gent. conventio-ne seu pacto, ut res sit periculo venditoris, quia aliàs ad vendi-torem pertinebat periculum sine conventione. Adeoque Grot. non satis sibi hic, quantum ego assequi valeo, (quod tamen pace-ranti viri dixerim) constare videtur. Et sane si respiciamus finem emtionis, qui est, ut necessaria res inter homines communicen-tur, videtur conforme esse juri nat. ut res emta periculo sit em-toris, quia emit propterea, ut dominus fiat rei, res autem perit suo domino. Voluit autem dominus rei esse qui emit, quia emit,
forfan

forſan quod neceſſe habuit, vel etiam, quod expetiſt ſibi rem habere, cum alias emtionem intermittere potuiſſet. Deinde ſtat per emtorem, vel ſaltem per venditorem non ſtat, quò minus emtor ſit dominus, quia venditor tantum eſt ſpeciei debitor, quæ ſi intereat vel ex mora emtoris vel citra culpam venditoris, venditor ab ejus præſtatione liberatur, *l. ult. C. de peric. & commodorei vend. §. l. 23. ff. de verb. oblig.* Imò ſanè iniquum foret, ut venditoris ſit periculum, qui ſæpius rem ideo diſtrahit, ut à cura ejus & cuſtodia liberetur. Iam verò ſi venditio eum non ſolveret cura & cuſtodia, melius eſſet, ſi rem retinuiſſet. Nec obſtat illud Grotij argumentum, quod ſcil. nondum dominium ſit translatum. Verum reſpondeo, ſi fidem habet venditor de pretio, *arg. l. 19. ff. de contrah. emt.* dominum ſe non amplius eſſe ſignificat, & cenſetur translatum dominium in emtorem, quia ipſi liberum eſt rem ſtatim auferre. Neque venditor animum eam ulterius habendi habere videtur, ſed potius ſuum animum rem habendi emtor inito contractu declaravit. Et ſi tandem ex æquitate jur. nat. tenetur venditor de periculo rei, in tantum & tamdiu tenebitur, in quantum & quamdiu per rerum naturam emtor rei emtæ ſuperelle non poterit: quod tamen etiam ſuas admittet limitationes.

LXI. Si emtor ſit in mora, quo minus accipiat rem, periculo ejus res manet, *l. 17. ff. de peric. & com. rei vend. l. 4. C. eod.* quod maximè verum eſt etiam in auſtionibus, niſi auſtionator forſan ad certas horas rem ſibi retineat, & deſignet tempus, quo tradat, ubi emtor ex auſt ad eſſe debet, & ſi emanet, periculo ejus res manet. Mora enim ſua cuilibet eſt nociva. *c. 25. de Reg. jur. in VI. & l. 173. §. 2. ff. eod.* Et præſumitur venditor ſemper paratus fuiſſe ad tradendum *arg. l. 3. §. 3. ff. de act. emt. vend.* adeoque ſatisfacit, ſi in cuſtodienda re illam diligentiam adhibeat, quam *arg. l. 17. ff. de peric. & com. rei vend.* homines frugi & diligentes præſtare debent.

LXII. Ex multis etiam locis hoc colligere poſſumus, quaſi non deceat & honeſtum ſit, ſed magis infamet, ſi bona alicujus

Cui mora
in auſtione
noceat ?

An infamet
auſtio ?

sub hasta vel in auctionibus vendantur. Id quod confirmare videtur *Aur. Prudent. lib. Peristeph. hymn. 3. v. 76.* Ubi auctiones *fas* appellat. Cui junge *Æl. Ant. Nebriss. annot. ad h. loc. & Joh. Weitz. ibid. citantem Rodolph. Forner. lib. 5. rer. quotid.* qui similiter improbat auctiones. Quo facit etiam *Cic. in orat. pro P. Quinct. c. 49. § 50.* cum ait: *Herclè cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnis fama & existimatio cum bonis simul possidetur. de quo homine præconis vox prædicat & pretium conficit, huic acerbissimum vivo videnti funus ducitur. & c. 64. ibid.* Adde *Senec. de brev. vit. c. xi. Ravard. lib. pro tribun. c. 19. Instit. C. ij. lib. 2. tit. 7. & Schneidewin. in præm. Inst. de hered. qualit. § diff.* Adeoque hi loci omnes non sine infamia auctionem bonorum alicujus posse institui volunt.

Quando &
quom. infam.
mer. auctio?

LXIII. Ut verò res ista clarius pateat, notandum prius erit ex *Nobiliss. & Consultiss. D. Eichel. Patroni & Præceptoris* omni honore honestandi, *dissertat. publ. ad tit. ff. de his qui notant. infam.* quod infamiae fundamentum sit vitium non omne sed noxium, & si quis aliis vitio suo non noceat, non sit infamis, quò magis autem noceat, eò major ejus sit infamia. Ex quibus verbis hoc sequitur, auctionem bonorum non infamare venditores, nisi inferant vitium nocens. Deinde repetenda hic erit differentia inter auctionem necessariam & voluntariam. Et necessaria alia sit bonorum illius, qui vitio fortunæ: alia alius, qui proprio vitio pleraque sua bona decoxit, ut inde honesto modo solvere non possit. Illi qui vitio fortunæ bonis sunt privati, magis commiseratione quam odio digni sunt, inde etiam immeritò infames censentur, quia ipsi suo vitio nemini nocuerunt, de quibus *Imp. in nov. 135. præfat.* loquitur, ibique *Dd.* Siqui vero suo vitio bona sua dilapidaverint, cum odio habeantur meritò, & quia vitio suo noxio aliis damnum dederunt, non inique pro infamibus habentur. *Gothofr. ad d. nov. 135. Bud. in forens. p. 55.* quæ infamia tamen non est juris, quod paret ex *l. 11. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 28. ff. de reb. aut. jud. possid. Cujac. in edict. Paul. lib. 59. ad l. 14. ff. de reb. aut. jud. possid.* cum in nulla lege ea expresse determinata sit, sed facti, arg. *l. 23. ff. quæ infraud. cred. Peretz. ad C. ex quib. caus. infam.*

B. U.

n. 25. Ludwell. ad §. 1. Inst. qui & ex quib. caus. & Mynsing. ad eund.
Cujac. in Papin. lib. 2. respons. ad 7. §. sed et quod. ff. de minorib. Simi-
liter cum voluntaria auctione se res habet, quæ nequaquam infama-
mat, nisi auctioans noceat sibi & alijs, ubi ignominiam aliquam
incurrit. Adeoque supra citati Forner. rationem non satis proba-
re possum, nisi in tantum, in quantum Reip. interest, ut bona illa
non distrahantur. Iniquè vero illi agunt, qui talium rerum au-
ctiones impediunt, quibus bono publico consulitur.

LXIV. Ipsam auctionem olim sectionem dictam fuisse, An deceat
Ant. Matth. lib. 1. de auct. c. 1. §. 2. testatur, adeoque emtor rerum virum bo-
subhastatarum dicitur sector, Tacit. 1. histor. 20. & secundum Cæli. num ab ha-
Secund. Curion. in notat. ad Cic. Philipp. 2. c. 64. est bonorum, quæ sta aliquid
publicata sunt, redemptor, qui spe lucri sectatus, emit universa emere.
bona, ut si visum fuerit, in auctione revendat. Vett. gloss. Biornis
dicitur. Et istos sectores bona condemnatorum semel auctio-
natos esse, proque ijs pecunias pensitasse singulis, ac postea pro
compendio singulas quasque res pecunia populo venditasse, ex
Ascon. patet. Iunge Hillig. ad Donell. lib. 23. c. 13. citantem Philipp.
Beroald. annot. c. 85. & Francisc. Modij. novantiqu. lect. epist. 105. Et
si inspicimus aliquot locos, invenimus emtionem sub hasta non
satis honestam fuisse: siquidem Corn. Nep. in vit. Attic. c. 6. n. 3. At-
ticum laudat, quod nunquam ad hastam publicam accesserit, cu-
jus tamen Cic. 12. epist. 49. ad Attic. mentionem facit, quasi aucti-
oni operam dedisset. Aliàs etiam non satis probant emtionem
ex auctione Senec. de brev. vit. c. 21. & Cic. 7. epist. fam. 30. Nec
tamen illud de omnibus, sed de illi tantum asserendum erit, quæ
fiabant aut tumultuante Rep. aut à sectoribus vel senibus coem-
tionalibus vanum lucrum sectantibus, quos Cic. d. Philipp. 2. c.
64. execratur. In ceteris auctiõibus, si quis in suum, aut ex
mandato in alterius usum emerit, non video, quomodo minus
honestæ emtio dici possit. Hinc etiam hod. omnes salvâ famâ
& honestate res solenniter subhastatas suas faciunt, modo non
imitentur sectores veterum Romanorum.

LXV. Satis ex supra dictis, præsentem pecuniâ ex auctiõibus Quænam
derur actio
res

si pretium
non solva-
tur?

res emi debere constat: si verò pecunia non statim solvatur, jure videtur agi posse contra emptorem, ut solvat. Attamen si respiciamus publicam subhastationem, putant quidam creditori actionem denegari in *l. 15. §. 7. ff. de re judic.* Verum in hac lege *D. Pius* non omnem actionem denegat, sed tantum coram executore sententiæ. Deinde videtur dicere, melius esse, si statim præsen- ti pecunia ematur, quia postea sine difficultate precium exigi non possit, ubi propria deficit actio. Hinc etiam *Ant. Fab. s. Con- ject. 16* actionem hic in factum dari censet, quæ & ex judicato datur, *l. 8. C. de reb. cred.* quia nulla actio alia competat, quæ no- men habeat. Si vero hoc accidat, subsidiariam in factum ex *l. 11. ff. de præscript. verb.* necessariam esse dicit. In privata auctione si pretium non solvatur, actione ex *l. 16. ff. de condict. caus. dat. caus. non sec.* exigere poterit.


Quomodo
auctio di-
mitti dice-
batur?


LXVI. Rebus jam venditis, vel tempore auctiionandi e- lapsa emptores & populi circumstantis corona dimittebatur, aut invitabatur in diem sequentem. Hinc auctiionem dimissam esse dicebant, quod juxta alios indicat *Quintil. xi. inst. orat. 2.* Et notandum hic est, quod in Batavia, teste *Ant. Matth. d. lib. 1. c. 9. n. 12.* finis prædicandi solis occasus sit, ultra quem si præco præ- dicaverit, multam debet florenorum xxv. atque eo amplius do- mino rerum venalium in id, quod interest, tenetur. Et hoc sane optimè ita est constitutum, cum alias fraudulenter præco cum emptoribus in fraudem venditoris agere posset. Hic jam subsistimus & lectorem dimittimus.

SOLI DEO GLORIA.

EMENDANDA.

Thef. 5. lin. 8. leg. *encheriffur.* thef. 29. lin. 7. sufficiat. thef. 44. lin. 5. post verb. est, *infere;* non obstante.





99 A 6993 (1)

ULB Halle 3
002 826 593




f
Sb.

V 17

Retro ✓







21.
DEO DVCE
DISSERTATIONEM
DE
AVCTIONIBVS

PRÆSIDE

DN. GEORGIO WERNERO, JC^{TO}
CANONICI IURIS ET FEVDALIS PRO-
FESSORE ORDINARIO, MAGNIFICO HVJVS
JVLIAE PRORECTORE, FACVLTATIS SVÆ HO-
DIE DECANO, DICASTERII GVELPHICI AS-
SESSORE MERITISSIMO, DN. PRÆCEPTO-
RE, PATRONO, FAVTORE ET PRO-
MOTORE SVO ÆTERNVM

VENERANDO

Ad diem Mens. Septembr.

IN NOVO IVLEO

*Publica & placida eruditorum disqui-
sitioni exhibet*

CASPAR CELLARIVS

Rudolphop. THVRINGVS
AVTOR

❁ (0) ❁

HELMESTADII,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

CIO IO C LXIV.

